BIBLIOTHÈQUE DES ÉCOLES FRANÇAISES D'ATHÈNES ET DE ROME
PUBLIÉE
SOUS LES AUSPICES DU MINISTÈRE DE L'ÉDUCATION NATIONALE
2e SÉRIE XVI, 3.

LES REGISTRES DE MARTIN IV

(1281-1285)

RECUEIL DES BULLES DE CE PAPE

PUBLIÉES OU ANALYSÉES

D'APRÈS LES MANUSCRITS ORIGINAUX DES ARCHIVES DU VATICAN

PAR

Les Membres de l'École française de Rome

TROISIÈME FASCICULE

(Feuilles 30 à 43. — Pages 229 à 332)

PAR

F. OLIVIER-MARTIN

Div.Sch.
Quarto
D
6
.B535

PARIS
E. DE BOCCARD, ÉDITEUR
LIBRAIRE DES ÉCOLES FRANÇAISES D'ATHÈNES ET DE ROME
1, Rue de Médicis
—
1935

v.16
fasc. 3

INCIPIT REGESTRUM LITTERARUM

MARTINI PAPE QUARTI DE ANNO QUARTO

---

493 Orvieto, 28 mars 1284.

Roberto, abbati Majoris Monasterii Turonensis, necnon successoribus, anulo et mitra, tunica et dalmatica, cyrothecis et sandaliis, continue in monasterio et ubique, civitate Turonensi excepta, uti et benedictionem sollempnem dare, concedit. — (Reg. 41, fol. 192; ann. IV, n° 1).

« *Dilecto filio Roberto, abbati Majoris Monasterii Turonensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti.* Sincere dilectionis affectum. — Dat. apud Urbemveterem, V kal. aprilis, anno quarto. »

494 Orvieto, 13 avril 1284.

Petro, abbati monasterii Fossatensis, Parisiensis diocesis, successoribusque gratias abbati Majoris Monasterii Turonensis collatas, scilicet episcopales vestes induere continue et ubique, exceptis processionibus congregationibus officiisque in diebus sollempnibus dominicis et festivis celebratis, concedit. — (Reg. 41, fol. 192; ann. IV, n° 2).

« *Petro, abbati monasterii Fossatensis, ordinis sancti Benedicti, Parisiensis diocesis.* Gerentes erga personam tuam. — Dat. apud Urbemveterem, idus aprilis, anno quarto. »

495 Orvieto, 13 avril 1284.

Petro, abbati monasterii Fossatensis, de quibusdam indulgentiis, ne juribus ecclesiae Parisiensis attemptere praesumatur. — (Reg. 41, fol. 192; ann. IV, n° 3).

« *Eidem.* Gerentes erga personam tuam. — Dat. apud Urbemveterem, idus aprilis, anno quarto. »

496 Orvieto, 22 avril 1284.

Constantiae, abbatissae electae monasterii sanctae Agnetis de Urbe, de illa regulariter electionem factam confirmat. — (Reg. 41, fol. 192 v°; ann. IV, n° 4).

« *Dilecte in Christo filie Constantie, capiti electe monasterii sancte Agnetis de Urbe, ordinis sancti Benedicti.* Dudum monasterio sancte Agnetis. — Dat. apud Urbemveterem, X kal. maii, anno quarto. »

In e. m. superiorisse et conventui monasterii sancte Agnetis de Urbe. — Dat. ut supra.

In e. m. venerabili fratri episcopo Tyburtinensi. — Dat. ut supra.

497 Orvieto, 8 mai 1284.

Walterio de Wenlac, abbati Westimonasterii juxta Londonum, electionem de ipso canonice factam confirmat. — (Reg. 41, fol. 192 v°; ann. IV, n° 5).

« *Walterio de Wenlac abbati Westimonasterii juxta Londonum ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis sancti Benedicti.* Dudum Westimonasterio juxta Londonum ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinente, ordinis sancti Benedicti, abbatis regimine destituto, dilecti filii.. prior et conventus ejusdem monasterii, certa die ad eligendum prefixa, vo-

catis et presentibus omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt, comode interesse, insimul in capitulo convenerunt et tandem eligentes per viam procedere compromissi, in septem ex ejusdem monasterii monachis unanimi voluntate votoque concordi compromittere curaverunt, concessa eis providendi hac vice ipsi monasterio de abbate plena et libera potestate, promittentes quod illum in suum et ejusdem monasterii abbatem reciperent et haberent, quem dicti septem, vel major et sanior pars eorum ducerent eligendum; et demum secedentibus illis in partem, diversis inter se tractatibus habitis, votisque suis diligenti examinatione discussis, juxta formam hujusmodi compromissi prefati septem in te, tunc ejusdem monasterii monachum unanimiter et concorditer consenserunt et dilectus filius frater Riccardus de Walthm (1) ipsius monasterii monachus, qui de predictorum compromissariorum numero existebat, vice sua et de collegarum suorum ac singulorum de dicto conventu speciali mandato et voluntate expressa, de te providit eidem monasterio de abbate teque nichilominus elegit in abbatem monasterii supradicti, tuque hujusmodi electioni de te facte, ad eorundem prioris et conventus instantiam consensisti. Postmodum autem prefati prior et conventus presentantes nobis per procuratores suos ad hoc specialiter constitutos decretum super eadem electione confectum cum instantia petierunt ut electionem ipsam admittere seu confirmare de benignitate sedis apostolice curaremus. Nos autem, quia per diligentem examinationem electionis et electe persone invenimus electionem eandem de te, persona utique ydonea, canonice celebratam eam, de fratrum nostrorum consilio, duximus confirmandam teque prefecimus ipsi monasterio in abbatem facientes tibi subsequenter per venerabilem fratrem nostrum Ostiensem episcopum munus benedictionis impendi, firma concepta fiducia quod, dirigente domino, actus tuos prefatum monasterium per tue circunspectionis industriam prospere dirigetur et salubria, dante domino, suscipiet incrementa, suscipiens itaque reverenter impositum a domino tibi onus ipsius monasterii sollicitam curam geras, gregem dominicum in illo vigilantie tue commissum, doctrina verbi et operis informando ita quod predictum monasterium tue diligentie studio multiplicibus gaudere commodis et optatis, actore deo, consurgere valeat incrementis. — Dat. apud Urbemveterem, VIII idus maii, anno quarto.»

(1) Nous n'avons pu identifier ce nom.

In e. m. priori et conventui Westimonasterii juxta Londonum ad Romanam ecclesiam etc. Dudum etc. ut in proxima superiori verbis competenter mutatis usque incrementa quo circa universitatem vestram rogamus et hortamur attendentes per apostolica vobis scripta mandantes quatinus eidem abbati tanquam patri et pastori animarum vestrarum plene ac humiliter intendentes obedientiam et reverentiam debitam sibi exhibere curetis alioquin sententiam quam ipse propter hoc rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Dat. ut supra.

In e. m. carissimo in Christo filio E. regi Anglie illustri dudum etc. usque incrementa. Quocirca celsitudinem regiam paterno rogamus et hortamur affectu quatinus eundem abbatem et monasterium sibi commissum habens pro nostra et apostolice sedis reverentia propensius commendatos eidem abbati regalia ipsius monasterii sublato difficultatis obstaculo facias assignari. Sic te prefato abbati exhibendo favorabilem et benignum ipsumque tue benivolentie gratia prosequendo ut ipse regiis fultus presidiis dicti monasterii regimen facilius et efficatius valeat exercere. Nosque perinde munificentiam regiam dignis in domino laudibus attolamus. Dat. ut supra.

498 Orvieto, 1er juin 1284.

Guillelmo Benedicti de Balone, laïco et aliis, tabellionatus officium concedit. — (Reg. 41, fol. 193; ann. IV, nº 6).

« *Dilecto filio Guillelmo Benedicti de Balone laïco Lugdunensis diocesis.* Ne contractuum memoria deperiret, inventum est tabellionatus officium, quo contractus legitimi ad cautelam presentium et memoriam futurorum manu publica notarentur. Hinc est quod predictum officium ad quod per dilectum filium magistrum Nicolaum de Terracena, capellanum nostrum, archidiaconum Lexoviensem, examinatorem super hoc deputatum a nobis, diligenter examinatus fuisti et repertus y doneus tibi duximus concedendum ut illud prudenter et fideliter exequaris et ad te cum necesse fuerit in hiis que ad officium ipsum pertinent recurratur, nulli ergo nostre concessionis, etc. — Dat. apud Urbemveterem, kal. junii, anno quarto.»

In e. m. dilecto filio Anselmo Joffridi de Anioth, clerico in minoribus ordinibus constituto, Treverensis diocesis.

In e.m. dilecto filio Arnaldo Manhani, seniori de Colganto, clerico in minoribus ordinibus constituto, Engolismensis diocesis.

In e. m. dilecto filio Petro de sancto Floro, clerico in minoribus ordinibus constituto, Claromontensis diocesis.

In e. m. dilecto filio Johanni Biviani de Frusinone, clerico in minoribus ordinibus constituto, Verulanensis diocesis. Dat. apud Urbemveterem, II kal. junii, anno quarto.

In e. m. pro Roberto de Martivallis, clerico Lincolniensis diocesis, in minoribus ordinibus constituto.

In e. m. pro Theobaldo de Sinemuro, clerico in minoribus ordinibus constituto, Eduensis diocesis.

In e. m. pro Thoma dicto Seguin, clerico in minoribus ordinibus constituto, Sagiensis diocesis. (1).

499 Orvieto, 3 mai 1284.

Magistro Philippo de Tueya ut, praeter ecclesiam sancti Petri de Basachiis, quam obtinuit, alium beneficium etiam cura animarum imminentem, licite recipiat. — (Reg. 41, fol. 193, ann. IV, n° 7).

« *Dilecto filio magistro Philippo de Tueya, rectori ecclesie sancti Petri de Basachiis, Sagiensis diocesis,* Apostolice sedis benignitas. — Dat. apud Urbemveterem, V nonas maii, anno quarto. »

500 Orvieto, 17 avril 1284.

Archiepiscopo Jadrensi, ut citat coram domino Papa Galvanum Dalmatinum professum ordinis praedicatorum, qui, electioni de ipso facta ad episcopatum Scandonensem, contra inhibitiones et decreta dicti ordinis, temere consentire praesumpsit — (Reg. 41, fol. 193; ann. IV, n° 8; POTTHAST, n° 22. 124).

« *Venerabili fratri archiepiscopo Jadrensi.* Dudum nobis quondam frater Johannes. — Dat. apud Urbemveterem, XV kal. maii, anno quarto. »

501 Orvieto, 23 juin 1284.

Umberto electo Astensi reservantur ei dictae ecclesiae beneficia per alium annum post primum jam ei concessum. — (Reg. 41, fol. 193 v°-194; ann. IV, n° 9).

« *Dilecto filio Umberto electo Astensi.* Volentes ut affectum benivolum. — Dat. apud Urbemveterem, X kal. junii, anno quarto. »

In e. m. Dilectis filiis.. abbati monasterii de Aberbrothot sancti Andree diocesis et.. archidiacono Bononiensi. Dat. ut supra.

502 Orvieto, 1er avril 1284.

Articuli et responsiones Dyonisii, regis Portugaliae, de discordia inter ipsum et praelatos regni Portugaliae orta, de mandato apostolico reformatae. — (Reg. 41, fol. 194-198; anno IV, n° 10).

(1) Les trois dernières analyses ont été ajoutées en marge.

Venerabili fratri.. episcopo Legionensi et dilectis filiis decano et.. archidiacono de Ledesma Salamantinis. Isti sunt articuli et responsiones ad eos reformate de nostro mandato, de quibus fit mentio in aliis litteris nostris ad vos directis per quas vobis inter prelatos regni Portugalie ex parte una et Dyonisium regem Portugalie illustrem ex altera, quedam committuntur que ipsarum litterarum series manifestat. In primis, idem rex pro sua voluntate compellit priores et abbatissas ac ecclesiarum rectores ut prioratibus et abbatiis et ecclesiis suis renuntient, maxime in illis monasteriis et ecclesiis in quibus contendit se jus patronatus habere. Respondet rex Dyonisius quod non fecit hec hactenus et promittit non facere in futurum.

Item, si episcopi vel ecclesiarum rectores in parrochianos suos pro eo quod decimas et alia jura sibi debita non solvunt, eisdem excommunicationis ferunt sententias vel loca supponunt ecclesiastico interdicto, justitia exigente, dictus rex et sui occasione hujusmodi excommunicatores banniri faciunt et bona eorum etiam occupari. Respondet idem rex quod contenta in articulo non fecit hactenus, et promittit non facere in futurum, et si contra per suos subditos factum fuerit, justitie complementum conquerentibus exhibebit occupata restitui et de injuriis satisfieri faciendo.

Item, si episcopi vel alii conveniant seu convenire velint, abbates, abbatissas, priores aut alias ecclesiasticas personas auctoritate litterarum apostolice sedis, prefatus rex id fieri non permittit. Respondet idem rex quod non fecit hec hactenus, et promittit non facere in futurum et permittere ipsos libere uti litteris apostolicis.

Item, si forte feratur diffinitiva sententia pro actore, non permittit eam executioni mandari et actori judicata precipit occupari sibi retinens occupata. Respondet idem rex quod non fecit hec hactenus, et promittit non facere in futurum et permittere quod sententie executioni legitime demandentur.

Item, si archiepiscopus, episcopi vel eorum vicarii locum aliquem vel ecclesiam supponunt ecclesiastico interdicto vel in homines ipsius regis excommunicationis, prout justitia exigit, ferunt sententias, dictus rex et sui episcopos vel eorum vicarios ad relaxandum hujusmodi sententias per minas et terrores et occupationem bonorum suorum compellunt, judicans eos si sententias ipsas relaxare noluerint, judiciorum judeorum subtrahendo ipsis communionem fidelium ac fideles ipsos si eis in aliquo communicaverint vel receperint ipsos in castris, villis aut domibus suis, capiendo, incarcerando et bonis propriis spoliando. Respondet idem rex

quod contenta in articulo non [f° 194v] fecit hactenus, et promittit non facere in futurum et si contra per suos subditos factum fuerit, justitie complementum conquerentibus exhibebit de dampnis et injuriis satisfieri faciendo et puniendo contrarium facientes prout fuerint puniendi.

Item, si aliqui judices a sede apostolica vel ab ordinariis delegati, aut etiam ipsi ordinarii pro aliquibus clericis contra communitatem aliquam ad regem pertinentem eundem vel aliquos de ipsa communitate interdicti vel excommunicationis sententiam ferant, exigentibus culpis suis, interdicitur, quandoque per regem ipsum, quandoque per officiales suos, quandoque per ipsam communitatem clericis ipsis commune commertium, et ne aliquis ipsos in suis domibus recipiat, prohibetur aqua et igne ipsis, pena super gravi apposita hiis qui contra fecerint interdictis, et hoc officiales ipsius regis et communitates per muros et districtum suum ac alia loca voce faciunt preconia proclamari. Nichilominus iidem clerici diffidantur et bonis spoliantur suis ecclesiasticis et paternis. Idem etiam fit ordinariis aut eorum delegatis et vicariis si sententias ex aliquibus aliis causis ferant. Respondet idem rex quod nichil horum fecit hactenus et promittit quod in futurum non faciet, set et fieri prohibebit. Et si, per suos subditos, communitates vel alios contra factum fuerit, justitie complementum conquerentibus exhibebit de dampnis et injuriis satisfieri faciendo.

Item, si contingit quod locus aliquis vel ecclesia supponatur ecclesiastico interdicto vel judex aut alius officialis regis vel aliquis seu aliqui de ipso loco excommunicentur, statuunt inter se communiter quod nullus solvat decimas, vel in testamento aliquid relinquat ecclesie, seu oblationem aliquam ad ecclesiam ipsam ferat. Respondet idem rex et promittit quod hec fieri prohibebit et prohibitionem suam faciet observari de dampnis et injuriis satisfieri faciendo et puniendo contrarium facientes prout fuerint puniendi. Preterea, prefatus rex et communitates ejus non permittunt episcopos ecclesiarum suarum civitatum et diocesum parrochias limitare. Respondet idem rex quod placet ei ut prelati limitent parrochias juste ac libere, prout ad eorum spectat officium et promittit in hoc eos non impedire et quod si per suos subditos fuerint super hiis aliquando impediti, exhibebit conquerentibus justitie complementum.

Item, usurpant sibi ipse rex et communitates ejus in quibusdam episcopatibus regni, tertias decimarum ecclesiarum fabrice deputatas et, in quibusdam, pontificales, et faciunt de ipsis tertiis confici et refici muros suos, et quandoque illas pro stipendiis rex assignat militibus memoratus. Respondet idem rex quod ipse non occupavit hactenus dictas decimas, nec militibus assignavit et promittit in futurum non occupare, nec assignare militibus, nec facere muros construi vel refici. Et si super hoc communitates ecclesiis seu personis ecclesiasticis injuriam fecerint et habeatur recursus ad eum, exhibebit prout spectabit ad ipsum conquerentibus justitie complementum.

Item, quod hospitalia seu albergarias pauperum usibus deputata que in episcoporum dispositione de jure consistunt cum possessionibus et pertinentiis usurpat. Respondet idem rex quod non recordatur se usurpasse, et promittit non usurpare in futurum et placet ei quod hospitalia et albergarie serventur pro voluntate et dispositione concedentium, salva in eis dispositione episcoporum, sicut et quantum eis de jure competit, et si contra hec in aliquo excessit de quo non recordatur, intendit et promittit corrigere prout fuerit corrigendum.

Item, compellit tam per se quam per communitates suas, clericos et personas ecclesiasticas ad contribuendum in constructione seu refectione murorum civitatum et locorum suorum cum laicis, contra libertatem ecclesiasticam, necnon contra legem paternam. Respondet idem rex quod nunquam compulit, et promittit non compellere in futurum clericos vel personas ecclesiasticas ad contenta in articulo per se vel per communitates, et quod communitatibus districte precipiet ut clericos et personas ecclesiasticas ad talia non compellant sed adeant super hoc superiores clericorum et hujusmodi personarum qui circa relevandas neccessitates et promovendas utilitates communes, faciant quod secundum jura viderint faciendum et si communitates secus fecerint et recursus habeatur ad ipsum regem, exhibebit conquerentibus justitie complementum.

Item, quod cogit colonos ecclesiarum et monasteriorum, ad hoc nullo jure obnoxios, ad constructionem seu refectionem murorum hujusmodi per quod contingit colonos ipsos suas deserere colonias et possessiones devastari predictas. Respondet idem rex quod contenta in articulo nunquam fecit et promittit non facere in futurum.

Item, quod personas ad ecclesias fugientes in illis casibus in quibus debent per ecclesias defensari, violenter facit ipse ac sui per sarracenos aut judeos, vel per christianos, extrahi ab eisdem vel facit eos ibi custodiri et compediri quandoque per suos satellites [fol. 195] et eis cibaria denegari, ut sic exire de ecclesiis compellantur. Respondet idem rex quod talia nunquam

fecit et promittit non facere in futurum et de facientibus talia justitiam conquerentibus exhibere.

Item, quod ipse ac meryni sui et judices capiunt presbiteros et clericos, irrequisitis eorum episcopis, nec volunt eos eisdem restituere licet petantur ab eis.

Item, quod hujusmodi capti quandoque per ipsum et suos denegatis alimentis, vel per suspendium aut aliis modis occiduntur. Quorum interdum aliqui parrochianis ecclesiarum suarum ad eorumdem parrochianorum instantiam importunam restituuntur cum cautione, ut missarum eis sollempnia celebrent. Quibus utique celebratis, reducuntur juxta formam cautionis prestitam in pristinam captionem. Respondet idem rex quod talia nunquam fecit, nec tempore suo facta fuerunt, et promittit non facere in futurum et quod si aliquando persona ecclesiastica, etiam ex causa capta fuerit, restituetur prelato suo ad requisitionem ipsius, et si injuriose capiatur hujusmodi persona, vel capta fuit hactenus, justitie complementum conquerentibus exhibebit faciendo satisfieri de dampnis et injuriis et puniendo capientes prout fuerint puniendi.

Item, quod sepe minatur archiepiscopo et episcopis et quandoque procurat et facit eos inclusos in ecclesiis, monasteriis et alibi detineri sarracenis, judeis ac aliis suis apparitoribus, pretoribus et meyrinis ad interficiendum eos adhibitis, circumquaque facit etiam amputari auriculas servientum episcoporum et quandoque alios capi et alios interfici coram eis. Respondet idem rex quod talia nunquam fecit hactenus et promittit non facere in futurum.

Item, quod facit ipsos episcopos in aliquibus obsideri locis per vassallos suos, eosdem sepius ac publice dehonestans et contumeliosa verba proferens contra eos. Et hoc idem temeritate propria barones sui faciunt et vassalli. Respondet idem rex quod non fecit aliquid de contentis in articulo et promittit non facere in futurum et quod talia facientes puniet prout fuerint puniendi.

Item, quod idem rex ac sui, tam barones quam alii, viliter verbis et factis pro sui motus libito dehonestant religiosos, clericos et conversos et quandoque aliquos ex eisdem faciunt coram se denudari totaliter propriis indumentis in grave vituperium eorumdem et totius ordinis clericalis. Respondet idem rex quod non fecit aliquid de contentis in articulo et promittit non facere in futurum et quod si per barones vel alios in regno suo factum fuit hactenus, vel fuerit in futurum, justitie complementum conquerentibus exhibebit de dampnis et injuriis satisfieri faciendo et puniendo talia facientes sicut fuerint puniendi.

Item, quod facit inquisitiones per totum regnum per homines proprios in ecclesiarum tam cathedralium quam aliarum de regno ipso prejudicium super possessionibus et ecclesiarum patronatibus fieri patronis ecclesiarum, vel possessionum, dominis ecclesiasticis non vocatis, et si per talem inquisitionem illicitam et iniquam invenit quod jus patronatus alicujus ecclesie vel possessio aliqua spectet ad ipsum, ilico facit omnia occupari, licet possessa fuerint ab eorum dominis a tempore cujus memoria non existit, amotis nichilominus ab hujusmodi ecclesiis rectoribus violenter cum in tali casu non per inquisitionem foret procedendum sed in foro competenti potius judicium ordinandum. Respondit idem rex quod non fecit aliquid de contentis in articulo, et promittit non facere in futurum.

Item, quod occupat episcoporum et aliorum ecclesias quas a longis temporibus pacifice possederant et, quod est absurdius, presentatos a se ad hujusmodi ecclesias episcopos, ipsos compellit admittere ac instituere in eisdem. Quod si forte aliqui ex ipsis finaliter nolunt admittere, hujusmodi presentatos idem rex per homines suos facit detineri easdem ac fructus et proventus ipsarum per eos percipit ex eisdem. Respondet idem rex quod talia nunquam fecit hactenus, et promittit non facere in futurum.

Item, si ad vacantem ecclesiam in discordia diversas patroni diocesano episcopo presentant personas et ipse discussis cause meritis de altero presentatorum vel alio forsitan ordinat ecclesiam juxta canonicas sanctiones, dum ille de quo ecclesie providetur per aliquorum ex patronis violentiam corporalem nancisci possessionem non potest, si tunc diocesanus ad hoc dicti regis invocet brachium, ipse, non solum non defendet eundem, immo favet injuriam inferenti hoc ipsum servans in omnibus que sunt contra ecclesiasticam libertatem. Respondet idem rex quod nichil eorum de quibus premissus articulus querelam continet fecit hactenus, et promittit non facere in futurum et quod brachium suum contra facientes injuriam in premissis quando fuerit invocatum exhibebit sicut jura volunt.

Item, quod, pretextu exercende justitie, ponit non modestos et timoratos meyrinos et submeyrinos qui exactiones in ecclesiis faciunt sicut volunt. Et cum de stipendiis que ab ipso rege percipiunt substentari deberent cum intolerabili evectionum et personarum multitudine in ecclesiis, monasteriis et cameris seu capellis et possessionibus episcoporum, in templariorum quoque ac hospitalariorum domibus et aliis piis locis et eorum [f° 195ᵛ] possessionibus hospitanter,

per loca hujusmodi passim et assidue discurrentes de bonis eorum faciunt neccessaria ministrari. Id ipsum etiam a baronibus, judicibus et aliis officialibus dicti regis et quibuslibet aliis perpetratur. Respondet idem rex quod talia non fecit hactenus, et promittit quod non faciet in futurum, et quod si talia, tempore patris vel suo, per alios facta dicantur, exhibebit conquerentibus justitie complementum de dampnis et injuriis satisfieri faciendo et delinquentes puniendo, prout fuerint puniendi.

Item, quod impingit aliquibus viris ecclesiasticis, et mulieribus religiosis, et abbatissis quod invenerunt thesauros, quorum occasione facit eos vel eas capi et secum taliter captos duci non parcens religioni, aut etiam dignitati, intendens et compellens contra jura ut totus thesaurus sibi restituatur, etiam si in propria domo, possessione, villa, cauto seu allodio ipsius invenientis, sit aut dicatur inventus. Respondet idem rex quoad captionem personarum ecclesiasticarum et religiosarum, quod nichil tale unquam fecit et promittit non facere in futurum. Quoad thesauros vero promittit personis ecclesiasticis servare jus scriptum.

Item, quod ab illis ecclesiis in quibus jus obtinet patronatus, procurationes inmoderatas seu servitia onerosa de novo exigit et ad dandum sibi equitaturas si habeant, et ad emendum pro ipso quales sibi placent, si non habeant earumdem, compellit rectores. Respondet idem rex quod de hiis omnibus nichil fecit et promittit quod non faciet in futurum et specialiter quod procurationes non recipiet nisi debitas et illas recipiet moderatas.

Item, quod in jura ac libertates ecclesiarum contra Deum irreverenter irrepens juxta civitatum et villarum ad jus et proprietatem earumdem ecclesiarum spectantium, quas etiam a longissimis progenitorum ejus temporibus possederant libere et quiete, terminos, populationes suas, quasdam in solo proprio et quasdam intra terras et colonias, possessiones et jura ecclesiarum, monasteriorum, ea facit dumtaxat intentione de novo ut dictarum ecclesiarum civitates et villas per invidiam deseri ab incolis faciat eorumdem tam cives quam alios homines ecclesiarum et monasteriorum et allodiorum seu castrorum eorum ad populationes easdem inhabitandas gravibus videlicet personarum injuriis, captionibus et bonorum spoliationibus, per homines suos ad id deputatos ab ipso miserabiliter pertrahendo et in servitutem, Dei timore postposito, inducendo, eam occasionem pretendens quod se fecerunt in vicinos hujusmodi populationum inscribi ignorantes, penitus quod eis hujusmodi inaudita servitus pararetur. Quo comperto, quibusdam ex hujusmodi vicinis inde fugientibus aut ibidem morientibus, dictus rex uxores eorum aut filios in eandem servitutem attrahit violenter. Nec hoc solo contentus irrequisitis civitatum, castrorum, seu allodiorum aut aliorum locorum dominis possessiones dictarum personarum, quas ibi habebant, dum viverent, occupare sibi quasi obnoxias servituti et per injuriam retinere presumit, vel ad minus sibi statuere censuales cum nullo jure liceat ei aliquid ibidem acquirere, vel habere, alias dictarum civitatum et allodiorum immunitates et jura multipliciter infringendo et per se ac suos dampna gravia irrogando. Mutando etiam portus antiquos bonos et utiles navalium fluviorum et periculosos portus in hujusmodi suis populationibus statuendo. Compellens nichilominus navium seu barcarum vel mercium que vehuntur in eis dominos applicare seu portare in ipsis portibus, non permittens eos, licet sint vassalli ecclesie, cum mercibus suis venire ad domos proprias, nec ipsos vassallos ecclesie, nec alios undecunque veniant in antiquis portibus, sicut consueverant applicare, mutando etiam per violentiam stratas publicas ac servitutes pedagiorum novorum in ipsis populationibus statuendo, in anime sue periculum et dictorum ecclesiarum et monasteriorum grave dispendium et jacturam.

Item, quod irrequisitis episcopis invitis locorum hujusmodi homines inibi commorantes predictarum ecclesiarum vassallos facit officiales suos et in evacuationem juris ipsarum et dominii ad majorem expressionem intentionis sue malivole, ipsos in vassallos suos recipit et eos ecclesiarum vassallagium nequiter facit publice abnegare, adiciens idem rex nichilominus ad hoc quod per meyrinos et officiales ac alios homines suos in predictis ecclesiarum locis indifferenter earum homines capi facit pariter et vassallos et bonis propriis spoliari et quandoque pro ipsorum capientium voluntate occidi.

Item, quod inducit pernitiosas servitutes in earumdem ecclesiarum homines et vassallos piscatores et alios contra libertates, quas a terre liberatione cum ejusdem regis progenitoribus habuerunt et minis nichilominus et terroribus et bonorum occupationibus episcopos compellens invitos, ut super oppressione hujusmodi suas et capitulorum suorum prestent ei litteras de consensu in grave ecclesiarum suarum et hominum suorum dispendium et jacturam. Respondet idem rex quod quoad ecclesiam Portugalensem, quam specialiter contingebat articulus iste et propter quam specialiter factus erat per compositionem, satisfactum est. In eo vero quod posset alias ecclesias tangere, promittit

idem rex contenta in articulo in dampnum [fol. 196] vel injuriam ecclesiarum sicut in articulo continetur non facere in futurum; et si qua in dampnum vel injuriam ipsarum facta inveniantur, emendare de dampnis et injuriis satisfactionem debitam dampnificatis et passis injuriam impendendo.

Item, quod idem rex contra episcopos et personas ecclesiasticas sumpta quandoque occasione malivola et injusta quod contrabanna sua faciunt si cum amicis suis consanguineis et vassallis a suis injuriatoribus se defendant, vel suam aut suorum contra alios citra ejusdem regis seu cujuscunque alterius preterquam ipsorum injuriantium lesionem prosequatur injuriam per occupationem civitatum, seu aliorum bonorum episcoporum, seu personarum hujusmodi ad persolvendum sibi magnam pecunie quantitatem, injuriose nimis contra ecclesiasticam libertatem compellit presertim cum iidem parati sint eidem regi, vel cuicunque alio de ipsis conquerenti sub suo judice de justitia respondere. Respondet idem rex quod ipse nichil horum fecit, et promittit quod prelatos et personas ecclesiasticas, etiam propter assunatas aliquas non puniet, nec procedet in aliquo contra eos vassallos, homines, seu alia bona eorum.

Item, quod munitiones et domos ecclesiarum ad eas ab antiquo pleno jure spectantes et inconcusse possessas, in odium ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum diruit sine causa in grave dispendium earumdem, pro magno volens ab eisdem episcopis reputari, si ad eorum instantiam eisdem taliter dirutas reedificare permittat, nulla eis de illatis injuriis et dampnis satisfactione impensa. Respondet idem rex quod ea que in articulo continentur non fecit hactenus et promittit non facere in futurum.

Item, quod si aliquis baylivus, vicarius, officialis seu majordomus terre regis baronis seu cujuscunque alterius ab eo terram tenentis in beneficium vassallo seu cuilibet alio homini alicujus episcopi clerici vel religiosi crimen impingit, aliquod trahens eum super hoc in causam coram terre judice, ut ea possit occasione ab eo pecuniam extorquere, non permittitur ei a supradictis potentibus in illa terra quod contra eos habeat advocatum, nec judex est ausus de advocato sibi, ut de jure tenetur et consuetudine providere nec ausus foret advocatus aliquis aliunde adductus advocationis inibi pro eo uti officio contra eos. Respondet idem rex quod ipse domo sua habet advocatos quibus dat portionem et vestitum quod advocent pro populo atque clero et etiam contra eum si necesse fuerit. Unde quod dictum est superius non audivit nec scivit, quia si scivisset, fecisset emendari et precipit quod de cetero hujusmodi non committantur et placet eidem regi quod quilibet in terra sua libere habeat advocatum et quilibet advocatus libere prestet patrocinium sicut ei competit et quod judices non habentibus advocatos libere de ipsis provideant et si contra factum fuerit querelantibus emendabit.

Item quod cum barones aut alii milites recipiunt castra a rege tenenda et servanda pro stipendiis propriis faciunt ei homagium quod sibi irato et pacato in omnem eventum restituent castra sua alioquin remanebunt exinde proditores. Hujusmodi autem castellani, ingruente guerra, vel ut avaritie sue satisfaciant, fingentes guerram in vicino futuram, ipsi et sui bladum, vinum, vaccas, porcos et alia victui necessaria ab ecclesiis episcoporum et aliis clericis ac hominibus eorumdem ad castra hujusmodi munienda, ut dicunt, accipiunt indistincte. Et sive guerra superveniat, sive non, nullo modo restituunt sic ablata, nec rex eos ad restitutionem compellit, nec barones aut quoslibet milites terram ab eodem rege seu baronibus ipsis tenentes et alios quoscunque nobiles et potentes qui singuli in locis suis episcoporum et cathedralium aut aliarum ecclesiarum, monasteriorum quoque et ceterorum religiosorum seu etiam clericorum homines et clericos ipsos, in quibus nullum omnino jus habent ad faciendum eis servitia pro sue voluntatis libito, compellunt invitos, cohibet rex predictos sed permittit potius hujusmodi servitutes in possessiones et homines ecclesiarum induci nec defendat eosdem. Respondet idem rex quod nichil horum suo tempore factum audivit et promittit quod si ad eum super hiis querela perveniet, querelantibus justitiam exhibebit. Et exprimit quod si bladum et alia victualia propter imminentem guerram capiantur in locis limitographis, sive que sunt in confinio, in quibus hoc est consuetum, faciet exinde satisfieri etiam si guerra in veritate imineat. Si vero capta fuerint aliqua propter guerram non iminentem, sed malitiose confictam, non solum satisfieri faciet sed et puniet facientes. Quodque ab hominibus ecclesiarum quarumlibet regni sui sive monasteriorum, vel religiosorum aut etiam clericorum, non permittet exigi servitia non debita et si per barones, vel milites, seu quoslibet alios contrarium factum fuerit, querelantibus exhibebit justitie complementum.

Item. quod idem rex inducit servitutes episcopis, abbatibus, prioribus et aliis compellendo eos ut portarios suos teneant et pro eis tenendis majori suo portario certam summam pecunie tribuant et eisdem portariis alias [fol. 196^{v}] provideant in salario et expensis.

Respondet idem rex quod licet a tempore avi et proavi sui et etiam patris sui, portarii positi fuerint per ipsos, ipse tamen rex ad instantiam prelatorum concessit eis ut de cetero contra voluntatem suam portarios habere non compellantur, nec eis provideant in salario nec expensis, nisi quando eis placuerit habere portarios ad voluntatem suam si sibi et ecclesiis suis viderint expedire. Et tunc portariis tantum quos habuerint provideant de salario competenti nec majori portario propter hoc providere in aliquo teneantur et hujusmodi concessionem ipse rex promittit se perpetuo servaturum.

Item, quod preficit judeos indifferenter contra generalis statuta concilii legemque paternam in publicis officiis christianis, quos ad deferendum signum quo a christianis qualitate habitus distinguantur compellere deberet, prout in generali concilio est statutum, propter quod dampnate commistionis excessus sub erroris potest velamento presumi nec ad debitas decimas persolvendas compelli permittit. Respondet idem rex quod quantum est ad judeos quod non preficiantur christianis in officiis publicis servabit quod super hoc est statutum in concilio generali. Quantum est de signis, distinguet judeos a christianis per aliquod signum. Quantum est de decimis judeorum, respondet quod permittit et permittet eos compelli et promittit ipse rex se ita perpetuo servaturum.

Item, si aliqua ecclesia rationabilem de aliquibus possessionibus permutationem diocesani sui facit auctoritate, cum alia, vel ipse diocesanus cum alio, dictus rex, ut ecclesiarum solummodo profectum impediat, frequenter obstaculum interponit. Respondet idem rex quod contenta in articulo nunquam fecit et promittit non facere in futurum.

Item, si que ecclesie cathedrales vacent, idem rex majorem sibi auctoritatem vendicare intendens, in eis pro clericis familiaribus suis, vel aliis minus dignis, de quibus sperat quod in ecclesiarum negotiis seu dispositionibus earumdem ejus sequentes arbitrium, ipsas ecclesias contra eum in suis juribus et libertatibus non defendent, capitulis ecclesiarum hujusmodi, universaliter et singulariter, singulis litteras suas mittit, precibus exigens et minis gravibus et terroribus interjectis, ut nullum omnino in episcopum eligant, nisi quem ipse in hujusmodi litteris nominat, vel per suos facit nuntios nominari. Hoc idem in aliis ecclesiis minoribus facit, quibus est per electionem de prelatis vel rectoribus providendum. Respondet idem rex quod si preces aliquando porrexit pro aliquibus eligendis in ecclesiis cathedralibus, aut in aliis, pro dignis interposuit preces suas, nullis super hoc minis vel terroribus interjectis, nec super hoc gravarit, nec intendit gravare ecclesias vel personas ecclesiasticas et promittit se ita perpetuo servaturum, nec in suis precibus adjecturum quod nullus alius eligatur, nisi is pro quo direxerit preces suas.

Item, quod nititur ad forum suum testamentarias, patronatus natalium et alias ecclesiasticas evocare causas, defunctorum clericorum occupanda legata ac rectorum ecclesiarum decedentium bona ipsarum ecclesiarum intuitu acquisita. Respondet idem rex et promittit quod causas ad ecclesiasticum forum spectantes, ad suum forum nullatenus evocabit et alia contenta in articulo non fecit hactenus et promittit non facere in futurum, et de occupatis, si qua sunt, satisfacere.

Item, quod cum contingit eundem regem ad aliquas civitates, villas vel alia dicti regni loca, venire, officiales et alii de familia sua, barones et ceteri milites eum sequentes, et non sequentes, quandoque domos episcoporum, personarum et canonicorum ecclesiarum cathedralium et aliorum clericorum et ecclesiarum ad hospitandum, seu quiescendum, in eis, pro suo velle occupant, invitis dominis earumdem, contra libertatem ecclesiasticam et ipsius et patris sui statuta, que ipse facere observari non curat in odium clericorum. Respondet idem rex quod ipse inhibuit et inhibet baronibus et aliis de domo sua ne pausent in domibus episcoporum seu canonicorum et aliorum clericorum et de hoc habent ab eo bonas litteras. Et si forte in domibus predictorum episcoporum et canonicorum, aliqui contra voluntatem eorundem pausaverunt, ipse fecit incontinenti expelli inde et ita de cetero etiam de domibus quorumlibet clericorum, sive ipsi clerici eas inhabitent, sive non inhabitent, faciet observari. Addens quod si aliqua statuta sunt super hoc in favorem ecclesiarum, placet ei quod serventur et promittit eadem servare in futurum.

Articuli precedentes fuerunt oblati ex parte dictorum prelatorum felicis recordationis Clementi pape IV, contra quondam A., regem Portugalie. Reliqui vero undecim qui et prout immediate sequuntur fuerunt in quibusdam litteris pie memorie Gregorii pape X [fol. 197], predecessoris nostri, et continent querelas eorumdem prelatorum super hiis que idem rex A. commisisse dicitur, post obitum memorati pape Clementis.

Accepimus quod tu, in regno tuo ecclesiasticam satagens subvertere libertatem, venerabiles fratres nostros episcopos et alios ecclesiarum prelatos, clericos et personas ecclesiasticas, necnon concilia et communitates ac homines civitatum, castrorum et villarum ipsorum in predicto regno consistentium, in eorum

prejudicium gravibus injuriis afficis et dampnis insupportabilibus aggravas et molestas, immemor, vel transgressor potius, juramenti quod de conservanda libertate predicta et provisionibus apostolicis quas firmiter observare teneris in regno prefato diceris prestitisse. Respondet idem rex quod ipse nichil horum fecit, sed cum pater suus ea que fecerat corrigi mandaverit, ipse incepit corrigere et que correcta non sunt, promittit corrigere et omnes de regno tam personas ecclesiasticas quam seculares manutenere in sua justitia et servare eis foros suos et bonas consuetudines et specialiter servare ac manutenere ecclesiasticam libertatem.

Inter alia quidem que nostris sunt auribus intimata, mirante audivimus quod tu ad bona ecclesiastica oculos cupiditatis iniciens, Bracharensis, Colimbriensis, Visensis et Lamecensis ecclesiarum redditus et proventus occupasti et detines occupatos, civitati Bracharensi cujus proprietas et dominium ad predictam Bracharensem ecclesiam pertinere dicitur pleno jure, pretorem, auctoritate propria, prefecisti. Respondet idem rex, quod ipse nichil horum occupavit, sed, que fuerunt occupata per patrem, ipse restituit et si qua restituenda supersint, paratus est et promittit restituere. Et idem dicit rex de ecclesia Silvensi. Dicit etiam idem rex quod ipse civitati Bracharensi pretorem non prefecit hactenus et promittit non preficere in futurum.

Nonnulas vero ecclesias parrochiales jura patronatus ipsarum necnon aldeas, domos, possessiones, jura et redditus venerabilis fratris nostri episcopi et ecclesie Egitaniensis occupans, aliquas ecclesiarum, aldearum et possessionum ipsarum diversis personis clericis et laicis contulisti. Aliorum vero possessiones in laicos et seculares personas transtulisti, pro tue libito voluntatis, auctoritatis ecclesiastice terminis illicite occupatis. Respondet idem rex quod ipse nichil horum occupavit, sed que fuerunt occupata per patrem, ipse restituit et si qua restituenda supersint, paratus est et promittit restituere.

Audivimus insuper quod cum tu nobilem virum Alfonsum, natum tuum, de Portualacri et de Maruan castrorum Egitaniensis diocesis noviter constitueris dominum et heredem, idem Alfonsus, non sine tua conniventia, ut creditur, vel consensu, episcopum et ecclesiam Egitanienses predictos eorumdem castrorum et terminorum suorum ecclesiis, decimis, redditibus et aliis suis juribus spoliavit et detinet spoliatos, ac nichilominus, quod intolerabilius est, in predictis castris voce preconis fecit publice sub certa pena, tam clericis quam laicis, inhiberi ne predictum Egitaniensem episcopum ad ecclesias dictorum castrorum, ut ibidem tanquam diocesanus locorum illorum suum exerceret officium accedentem in ecclesiis ipsis vel in domibus suis reciperent, nec sibi, vel familie sue, aliqua victualia venderent vel etiam exhiberent. Et cum ex parte dicti Egitaniensis episcopi fueris cum instantia requisitus ut hec faceres revocari, tu, tanquam horum conscius, ab hiis avertens auditum, id efficere non curasti. Aliarum etiam cathedralium ecclesiarum decimas, redditus et proventus occupans, aliquas alienare, aliquas vero militibus et laicis concedere donationis titulo attemptasti. Respondet idem rex quod in premissis in nulla culpa fuit, nec est, et si de ipsis non fuit satisfactum ad plenum, promittit conquerentibus exhibere justitie complementum, de occupatis, alienatis et concessis militibus prout in articulo continetur si, quelibet inveniantur, satisfactionem debitam impendendo.

Preterea cum a prelatis, capitulis et conventibus predicti regni vis aliquid per calumpniam extorquere in ecclesiis, aldeis et possessionibus monasteriorum ipsorum quas iidem prelati, capitula et conventus a longissimis temporibus possederunt pacifice et quiete, jus aliquod te habere contendens, compellis eos ut in arbitros de regno tuo dumtaxat tecum super eisdem ecclesiis, aldeis et possessionibus compromittant. Et si prelati, capitula et conventus talium recusant subire judicium, vel parere sententie arbitrorum, tu, per quendam, qui superjudex tue curie appellatur, in possessione ipsarum ecclesiarum, possessionum et aldearum, causa rei servande, facis sententialiter te induci. Respondet idem rex quod non compulit hactenus et promittit in futurum aliquem non compellere compromittere in aliquem, vel in aliquos, arbitros. Et si qua pater suus occasione hujusmodi occupavit, ipse de illis debitam satisfactionem impendet.

Hoc ipsum diceris facere quando [f° 197v] prelati, capitula et conventus ac alie ecclesiastice persone super ecclesiis, juribus et rebus ecclesiasticis nolunt in tua curia coram te, vel eodem superjudice, respondere. Dictus etiam superjudex in clericos et personas ecclesiasticas dicti regni, indebitam sibi jurisdictionem usurpans, de causis ad ecclesiasticum forum spectantibus cognoscere, et de rebus ecclesiasticis judicare presumit, et si dicti clerici propter hoc ad apostolicam sedem appellant, dictus superjudex, ipsorum appellationibus vilipensis, eos reputat contumaces et conquerentes in possessionem dictorum bonorum inducere non veretur. Tu quoque, predictos clericos et personas ecclesiasticas, passim in omni causa, in tua et aliorum laicorum judicum curiis respondere compellis. Respondet idem rex

quod placet ei ut clerici in omnibus que spectant ad forum ecclesiasticum sequantur illud, nec trahantur ad forum seculare, sed quoad possessiones regales, quas permittit rex personas ecclesiasticas per suos colonos excolere, certis sibi juribus reservatis, consentiunt prelati quod super juribus regalibus respondeant coram ipso et promittit idem rex se predicta perpetuo servaturum.

Preterea, si quando Judei vel Sarraceni liberi, divina inspiratione, veniunt ad baptismum, tu bona ipsorum facis protinus confiscari et eos in novam redigi servitutem. Et si Sarraceni servi Judeorum, per baptismum Christi fidem acceperint, eos reduci facis in servitutem pristinam Judeorum. Respondet idem rex quod ipse de hiis omnibus nichil fecit et promittit non facere in futurum. Et si qua talia facta inveniantur, promittit emendare, in servitutem redactos restituendo libertati et de confiscatis etiam satisfactionem debitam impendendo.

Si Judei quidem, vel Sarraceni, emptionis vel pignoris titulo, christianorum possessiones obtineant, vel acquirant, non permittis edicto generali super hoc edito, ut de hujusmodi possessionum fructibus quas dicti Judei vel Sarraceni propriis manibus vel sumptibus excolunt, ecclesiis in quarum parrochiis possessiones ipse consistunt, decime ac primitie persolvantur. Respondet idem rex quod ipse nichil horum fecit et promittit quod permittet et non impediet solvi decimas, de quibus in articulo continetur, et edictum, si quod in contrarium fuit editum tempore patris sui, quod non credit, ex nunc revocat et statuit pro revocato haberi.

A violatione libertatis ecclesiastice, quam profecto qui violat precipuum robur quo fides viget catholica et regia dirigitur celsitudo confringit, necnon et ab usurpatione jurium divinorum ad quorum tutelam distributor omnium regnorum temporali gladio te accinxit, ac a molestiis personarum quas ad cultum divini nominis pro populo constitutas, sacre sortis ministerium designavit, abstineas, et alios tibi subditos cessare compellas. Respondet idem rex quod ipse nichil horum fecit et promittit in futurum non violare libertatem ecclesiasticam, sed manutenere ac tueri et ab ecclesiasticarum personarum molestiis omnimodis abstinere.

Universa vero et singula bona prelatorum, ecclesiarum et monasteriorum et aliarum quarumcunque ecclesiasticarum personarum, que, quacunque occasione ablata, vel quocunque modo illicite occupata, consumpta, detenta, seu data vel alienata per te, vel de mandato tuo, aut per barones, milites et officiales tuos, hactenus extiterunt sine difficultatis obstaculo restituens et restitui faciens cum fructibus inde perceptis, de dampnis et injuriis illatis eisdem satisfactionem exhibeas ipsis, et exhiberi facias, competentem. Respondet idem rex quod ipse nichil horum fecit et promittit non facere in futurum. Et si qua, per eum vel predecessores suos talia facta fuerunt, emendare. De hiis vero que per barones et alios facta dicuntur, querelantibus exhibere justitie complementum.

Statuta et consuetudines in eodem regno contra libertatem canonicam et statum predicti regni pacificum introductas non serves, nec permittas ab aliis observari, sed predictas ecclesias et personas in plena libertate conserves. Respondet idem rex quod non recordatur tales consuetudines fuisse introductas et mandat quod tales consuetudines tollantur et bone consuetidunes observentur et promittit malas consuetudines tollere et bonas servare et facere observari. Item per omnia respondet de statutis contra canonicam libertatem et regni statum pacificum introductis.

Isti octo articuli, qui sequuntur, sunt illi quibus non fuerat sufficienter, nec secundum jura, responsum, super quibus tamen speratur adhuc compositio facienda. Et attendendum quod primi sex ex eis sunt de illis qui oblati fuerunt memorato pape Clementi, reliqui vero duo sunt de contentis in litteris prefati pape predecessoris Gregorii.

Item, quod ipse rex non vult solvere decimas de suis redditibus, licet debeantur de jure communi et etiam ex concessione et privilegio patris sui, et manutenet communitates contra episcopos et ecclesias, in sua malitia, quod non solvant.

Item, quod idem rex non solum inhibet episcopis et personis ecclesiasticis quod possessiones non emant aliquas etiam non emphiteoticas nec feudales immo etiam ab antiquo vel de novo emptas ab ipsis, vel eorum antecessoribus, vel aliter adquisitas, facit per injuriam occupari.

Item, quod quandam inquisitionem ad prelatorum instantiam et magnos eorum sumptus, super injuriis, invasionibus et rapinis ac monasteriorum efractionibus et diversis enormitatibus, aliisque [fol. 198] multipliciter malis, abbatibus, prioribus aliisque personis religiosis, ecclesiarum rectoribus et aliis clericis irrogatis fieri, generalem fecit eamque in regia cura publice aperiri et dari per litteras, formas et modum secundum quas ad executionem procederetur in inquisitione hujusmodi contentorum. Sed hec omnia postmodum, nullo jure cogente, sed voluntatis motu proprio revo-

cavit et sic nulla facta est justitia, vel emenda de commissis.

Item, quod aufert clericis et religiosis, bladum, servos et ancillas sarracenos et sarracenas, dextrarios et equitaturas, et res alias pretiosas et interdum idem rex et barones, pretores et consiliarii et familiares sui vaccas, porcos, arietes, gallinas, et alia hujusmodi, pro velle capiunt seu capi faciunt, titulo emptionis et tamen vix hujusmodi rerum dominis mediam vel tertiam aut quartam ejus quod valent partem, et aliquando penitus nichil, solvunt, contra Deum et justitiam et ipsius regni consuetudinem approbatam.

Item, si aliqua persona ecclesiastica Parisius commorans, vel alibi, aut etiam in curia romana ex causa aliqua, pro sua sustentatione, vel pro libris emendis, aut aliis necessariis vel ad contracta olim debita persolvenda, ex propriis proventibus propter monete illius terre vilitatem et cambii difficultatem, facit sibi pecuniam de Ulixbonensi, vel ex aliis locis, in mercibus per mare transvehi, idem rex contra consuetudinem, cum antecessoribus suis obtentam et usque nuper etiam cum ipso, inviolabiliter observatam, nunc novam servitutem inducens, cogit per se ac suos, quasi novum pedagium seu portagium inducendo, in elusionem proprii juramenti, et contra ecclesiasticam libertatem, hujusmodi personas, vel eorum procuratores, fidejussoria cautione cavere quod equivalentes merces ad portum referant, de quibus regi decima persolvatur, in reditu alias non extrahantur a portu, vel statim in ipso ingressu de eisdem transvehendis mercibus decima occupatur, quod nunquam ante patris hujus domini regis tempora factum fuit, quod scilicet talis exigeretur decima nisi de mercibus a mercatoribus ad terram illam aliunde transvectis.

Item, quod si milites, vel alii viri aut femine nobiles, possessionem aliquam que dum tenetur ab eis libera est et exempta ab omni servitute regali, ex causa donationis, inter vivos vel ex testamento in ultima voluntate seu quoquo alio titulo, in ecclesie vel monasterium (*sic*) dominium transferunt, pro suorum remedio peccatorum, idem rex et sui, statim possessionem ipsam exutam, omni libertatis privilegio vel honoris in Dei et ecclesie sue contemptum, in eam servitutem redigunt, que exercetur ab eis in possessionibus vilium rusticorum, ecclesiam Dei personis innobilibus et servilis conditionis hominibus miserabiliter comparantes.

Nova etiam pedagia et exactiones indebitas imponens, tam clericis quam laicis, vassallis et colonis eorum, ab ipsis in eorum prejudicium nomine pedagii decimam partem omnium que de regno predicto extrahunt, exigi et extorqueri facis, contra canonicas sanctiones, latam in tales per sedem apostolicam excommunicationis sententiam non formidans.

A colonis preterea prediorum clericorum et ecclesiarum, ac etiam laicorum, in ipsorum clericorum et ecclesiarum prejudicium et contra antiquam consuetudinem, partem fructuum dictorum prediorum, sub nomine jugate, contra justitiam, exigis et, tam clericis quam laicis, in ipsorum clericorum prejudicium, in fructibus et laboribus prediorum suorum ac in emptionibus et venditionibus rerum venalium, onera, leges et consuetudines novas imponis. — Dat. apud Urbemveterem, kal. aprilis, anno quarto. »

503 Orvieto, 25 mars 1284.

Archiepiscopo Bracharensi et episcopis regni Portugaliae articulos et responsiones Dyonisii regis Portugaliae de discordia inter ipsum et praelatos dicti regni orta, mittit et mandat quatinus aliqua reformare, secundum sedis apostolicae voluntatem, faciant. — (Reg. 41, fol. 198; ann. IV, n° 11; - POTTHAST, n° 26.119).

« *Eisdem.* Ex parte venerabilium fratrum nostrorum.. archiepiscopi Bracharensis et episcoporum regni Portugalie, fuit propositum coram nobis, quod nonnulli ex ipsis, una cum predecessoribus aliorum, contra quondam A., Portugalie regem, super injuriis et gravaminibus que sibi ecclesiis et personis ecclesiasticis in derogationem ecclesiastice libertatis, necnon conciliis et habitatoribus regni Portugalie, per eundem regem et suos irrogata et irrogari dicebant, coram felicis recordationis Clemente, quosdam et primodum coram recolende memorie Gregorio, summis pontificibus predecessoribus nostris, tam illos quam nonnullos alios articulos obtulerunt. Super quibus, eumdem regem ut injurias et gravamina que seriatim exprimuntur in illis jam eis illata, corrigeret, et in futurum a similibus abstineret, per varias apostolicas sub certa forma litteras obtinuere moneri. Et demum idem predecessor Gregorius, reputans premissis super hoc monitionibus paritum non fuisse, super predictis quandam provisionem sive ordinationem de fratrum suorum consilio edidit diversarum penarum et sententiarum excommunicationis et interdicti adjectione vallatam, eamque, tam ab ipso rege, quam ab ejus successoribus in regno predicto, statuit et decrevit in perpetuum observandam. Et quia, nec dictus rex eam observaverat, nec Dyonisius rex Portugalie, ipsius A. filius et in regno predicto successor, observare curabat, idem regnum, quod per eosdem prelatos dudum antea ex certis causis fuerat

interdictum, per eandem prefati predecessoris Gregorii provisionem, sive ordinationem, [fol. 198v] ecclesiastico interdicto subjectum extitit, et existit, et prefatus rex Dyonisius excommunicationis sententia innodatus, non absque gravi animarum periculo que proinde jam diutius divinorum sacramentorum sunt participatione private; propter quod archiepiscopo et aliquibus ex prelatis aliis supradictis, cum eodem Dyonisio convenientibus, ad pacis et concordie inter se tractatum habendum, prefati articuli dicto regi Dyonisio in sua generali curia, quampluribus religiosis, baronibus, militibus et nonnullis de comitatibus regni ejusdem ad hoc in eadem curia congregatis, exhibiti et coram eo lecti, plene, plane ac diligenter expositi extiterunt. Idemque rex Dyonisius, de consensu et auctoritate ipsius curie et consiliariorum suorum, ad eosdem articulos singulariter libera et spontanea voluntate respondit, archiepiscopo et prelatis eisdem acceptantibus responsiones ipsius, si super hoc apostolice sedis interveniret assensus. Memoratis itaque prelatis et rege Dyonisio petentibus per nos hujusmodi tractatum, sive compositionem, inter eos habitam confirmari et firmari, taliter quod robur perpetuum obtineret, nos responsiones predictas discussimus et invenimus nonnullas ex eis et si forsan in pluribus juri consonas, captiosis tamen adjectionibus involutas. Quas in formam redigi fecimus juri conformem et omnis captionis expertem, ut ei si petitum fuerit, absque conscientie scrupulo, prout expedire videbitur, beneficium confirmationis accedat. Reliquas vero defectivas comperimus, nec juris auctoritate munitas, sed ab ejus censura discordes. Et ideo, nos eis robur apostolice confirmationis adicere ullo modo nostra conscientia pateretur. Quia vero dicti archiepiscopus et prelati sperant, sicut asserunt, super illis etiam articulis super quibus premisimus defective, nec secundum jura, responsum, cum sepefato rege Dyonisio taliter, Deo auctore, componere quod in utilitatem ecclesiarum habenda super illis compositio redundabit, omnes predictos articulos et responsiones, ut supra exprimitur reformatas, vobis deliberavimus destinandos, vestre sollertie committentes et per apostolica scripta mandantes, quatinus vos, vel duo vestrum, dictos articulos super quibus responsiones reformatas fuisse premittitur, necnon et ipsas responsiones quos quidem articulos et responsiones, vobis sub bulla nostra, mittimus, sepefato regi Dyonisio exhibentes, ipsum diligenter moneatis et efficaciter inducatis, ut responsiones easdem in generali sua curia, de consensu et auctoritate ipsius curie suorumque consiliariorum, coram memoratis archiepiscopo et prelatis, quos tunc in eodem regno contigerit esse presentes, acceptet, ita quod lectis sibi singulis articulis et plene, plane ac diligenter expositis, respondeat ipsis archiepiscopo et prelatis, prout in earumdem responsionum serie continetur, eisque patentes litteras, suo pendenti sigillo munitas, super ipsarum responsionum, confirmatione ab apostolica sede petenda, concedat in forma quam vobis sub bulla nostra destinamus inclusam. Quodque, super aliis articulis, ad quos responsiones defectivas factas esse prediximus, quos etiam sub bulla nostra similiter destinamus, studeat taliter componere cum eisdem archiepiscopo et prelatis, quod in ecclesiarum utilitatem redundet, tractata super illis compositio inter eos et consideratis statu regni ejusdem, aliisque circumstantiis, vel ad obtinendum apostolice confirmationis robur non indigne possit admitti, vel saltem absque remorsu conscientie tolerari. Quodque autem super premissis omnibus et singulis et specialiter tam super responsionibus et petenda confirmatione ipsarum, quam super compositione predictis, actum fuerit plene nobis et fideliter, per vestras patentes litteras harum continentes seriem referatis. Nostre namque intentionis existit eodem rege Dyonisio se nostris beneplacitis coaptante, parendo vestris monitionibus in premissis quoad dictam provisionem sive ordinationem ejusdem predecessoris nostri Gregorii sibi taliter providere, quod se, de nostra circa illam provisione contentum, reputare non inmerito poterit et debebit. — Dat. apud Urbemveterem, VIII kal. aprilis, anno quarto. »

504 (1) Orvieto, 15 mai 1284.

Archiepiscopo Bracharensi et episcopis regni Portugaliae, litteras Dyonisii regis, cujus tenor sequitur, mittat.; — (Reg. 41, fol. 198 v°; ann. IV, n° 12).

« *Eisdem.* Hec est forma litterarum per Dyonisium regem Portugalie illustrem concedendarum prelatis Portugalie super confirmatione petenda, de qua fit mentio in aliis litteris nostris ad vos directis, per quas vobis inter prelatos et regem eosdem aliqua committuntur, que ipsarum litterarum series manifestat.

« *Sanctissimo in Christo patri et domino, domino Martino, divina providentia sacrosancte Romane ecclesie summo pontifici, Dyonisius, Dei gratia rex Portugalie et Algarbii, ejus humilis filius et devotus, pedum oscula beatorum.* Venerabiles patres.. Bracharensis archiepiscopus ceterique prelati regni Portugalie ac prede-

(1) En marge, on lit : *Ista littera fuit missa clausa.*

cessores eorum, de predecessoribus nostris Portugalie et Algarbii regibus, et precipue de clare memorie A., genitore nostro, coram diversis summis pontificibus diversas multiplicavere querelas et deinde super injuriis et gravaminibus que sibi ecclesiis et personis ecclesiasticis in derogationem ecclesiastice libertatis, necnon conciliis et habitatoribus regni Portugalie, per eundem patrem nostrum et suos irrogata et irrogari dicebant, [fol. 199] quidam ex eis coram felicis recordationis domino Clemente, quosdam et postmodum coram recolende memorie domino Gregorio X summis pontificibus, predecessoribus vestris, tam illos quam alios articulos obtulerunt, super quibus eundem genitorem nostrum, ut injurias et gravamina que seriatim exprimuntur in illis jam eis illata, corrigeret, et in futurum a similibus abstineret, per varias apostolicas sub certa forma litteras obtinuere moneri. Et demum, idem dominus Gregorius premissis super hoc monitionibus paritum non fuisse, et quandam provisionem, sive ordinationem, de fratrum suorum consilio, edidit, diversarum penarum et sententiarum excommunicationis et interdicti adjectione, non absque nimio rigore, vallatam, eamque, tam ab ipso genitore nostro quam ab ejus successoribus, statuit et decrevit in perpetuum observandam. Et quia, ordinationis ejusdem nec dictus genitor noster, nec nos, nec alii qui artabantur eadem, potuimus portare duritiam, memoratum regnum, quod per eosdem prelatos ex causis aliquibus fuerat diutius interdictum, per eandem prefati domini Gregorii provisionem, sive ordinationem, ecclesiastico interdicto subjectum extitit, et existit non absque gravi animarum periculo, que proinde sacramentorum divinorum participatione privantur. Propter quod, memoratis archiepiscopo et episcopis, necnon quampluribus religiosis, baronibus, militibus et nonnullis de communitatibus regni ejusdem ad hoc in nostra curia congregatis et cum ipsis tractatu super hiis habito diligenti, demum, illo faciente qui concordiam in sublimibus suis facit, nos, de consensu et auctoritate ipsius curie nostrorumque consiliariorum, infrascripto modo composuimus cum archiepiscopo et episcopis supradictis. Singulis siquidem predictis articulis nobis lectis et plene ac diligenter expositis, libera et spontanea voluntate respondimus, de consensu et auctoritate premissis, ad ipsos articulos et contenta in ipsis, et promisimus circa illa ipsis archiepiscopo et episcopis ac.. notario publico presenti, nomine ipsorum archiepiscopi, episcoporum et aliorum omnium quorum interest, ea que responsiones et promissiones nostre ad singulos eosdem articulos, quos, una cum eisdem reponsionibus, redactos in formam publicam, sanctitati vestre sub nostro pendenti sigillo transmittimus, singulariter subjecte patenter ostendunt. Quas quidem responsiones et promissiones omnes et singulas, necnon omnia et singula contenta in eis, prefati archiepiscopus et episcopi, dummodo vobis placeant, approbant et acceptant, et nos eisdem archiepiscopo, episcopis, ecclesiis et ecclesiasticis personis, conciliis et incolis ejusdem regni Portugalie et Algarbii, necnon et memorato notario ipsorum nomine stipulanti, pro nobis et successoribus nostris, quos ad hoc obligamus, prelatis et aliis supradictis promittimus in perpetuum inviolabiliter observare ac per nostros officiales et subditos facere observari, nec contra ea, vel eorum aliquod, per nos aut alios ullo unquam tempore, vel modo, venire. Quod si forsan contra predicta, vel eorum aliquod, per nos officiales aut subditos ipsos, aliquid umquam quod absit attemptatum fuerit, quomodolibet vel presumptum simili modo promittimus, illud emendare ad plenum et facere sine difficultatis obstaculo emendari. Actum est autem inter nos et prelatos eosdem quod postquam hujusmodi nostra et ipsorum compositio fuerit per sedem apostolicam confirmata et firmata prout vos decreveritis ad perpetuum robur esse firmandam, nos et nostri successores ac subditi, seu quicunque alii qui per sepefatam provisionem seu ordinationem ejusdem predecessoris vestri domini Gregorii artari poterant, ad ejus observationem nullatenus teneantur. Quare, sanctitati vestre supplicamus humiliter et devote, quatinus compositionem quam cum eisdem archiepiscopo et prelatis fecimus et quam articulorum et nostrarum promissionum et responsionum factarum ad ipsos series aperte declarat, confirmare ac firmare modis, viis ac penis de quibus expedire videritis, dignimini, taliter quod perpetuum robur obtineat firmitatis. Decernentes ex tunc nos, successores et subditos aliosque predictos ad observationem sepefate provisionis, sive ordinationis, ejusdem domini Gregorii non teneri et circa prefatas sententias interdicti et excommunicationis tam per prelatos quam in non servantes provisionem, seu ordinationem, eandem ab apostolica sede prolatas, de vestre sanctitatis provisione clementi, festinum et salutare remedium adhibentes.

Dat. apud Urbemveterem, idibus maii, anno quarto.»

505 Orvieto, 10 juin 1284.

Fredolo, episcopo quondam Ovetensi, in episcopatum Aniciensem eum preficit. — (Reg. 41, fol. 199; ann. IV, n° 13).

« *Venerabili fratri Fredolo, episcopo Aniciensi.* Onerosa pastoralis officii summi dispositione pastoris nobis licet immeritis cura commissa, sollicita nos pulsat instantia ut ad provisionem ecclesiarum vacantium, illarum precipue que immediate apostolice sedi subsunt, sollicitius intendamus, ne ipsis pastoralis (*sic*) presidio destitutis, ambulantis in circuitu lupi rapacis astucia, oves earum rapiat vel et dispergat, et ne manus avida bona illarum diripiat, jura deprimat vel usurpet. Sane dudum Aniciensi ecclesia, ad romanam ecclesiam nullo medio pertinente, per obitum bone memorie Guillelmi, Aniciensis episcopi, pastoris [f° 199v] solatio destituta, capitulum ejusdem ecclesie Aniciensis vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt comode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum, dilectum filium Petrum de Stagno, clericum, Ruthenensis diocesis, in ejusdem ecclesie pastorem et episcopum per viam compromissi elegerunt in postulandum, et eligendum etiam postularunt. Sed demum, eodem Petro electionem seu postulationem hujusmodi acceptare penitus recusante, prefati capitulum, post diversos tractatus super hiis inter se habitos, attendentes quod de tempore ad eligendum eis de jure concesso, modicum supererat, tam per patentes litteras quam per sollempnes nuntios ad hoc ab eis specialiter destinatos, nobis humiliter supplicarunt ut eis et prefate ecclesie personam ydoneam in pastorem et episcopum preficere dignaremur. Nos igitur, eorum in hac parte precibus annuentes, ac paterna volentes sollicitudine precavere ne predicta ecclesia prolixioris dispendia vacationis incurrat, et cupientes ut ecclesia ipsa utilis presidio suffulta pastoris, Deo propitio, relevetur a noxiis et optatis proficiat incrementis, ad personam tuam, quam sincera dilectione complectimur, apostolice direximus considerationis intuitum, ipsam fore perutilem ad gerendum ejusdem ecclesie onus arbitrantes, ad que siquidem gratiosi fructus ex tuis provenientes operibus, maxime quia ecclesiam Ovetensem olim tuo commissam, regimini spiritualiter et temporaliter augmentasti, multipliciter nos inducunt. Hiis igitur digna meditatione pensatis, te, olim Ovetensem episcopum a vinculo quo eidem Ovetensi ecclesie tenebaris absolvimus, teque ad dictam Aniciensem ecclesiam transferentes, illi, de fratrum nostrorum consilio, et nostre plenitudinis potestate, preficimus in episcopum et pastorem. Ideoque, mandamus quatinus provide pensans quod rem majorem aggrediens, potiora tibi apud Deum premia comparabis et patebit latius tuorum claritas meritorum absque difficultatis obstaculo translationem hujusmodi de te factam acceptes. Sicque curam et administrationem ejusdem Aniciensis ecclesie prudenter et utiliter exequaris, quod ipsa tuo salubri ministerio prospere dirigatur et in spiritualibus et temporalibus optata suscipiat incrementa, tuque, velut pastor sollecitudine pervigil, commissum tibi gregem gubernare studioso regimine comproberis ac exinde nostram et prefate sedis gratiam uberius merearis. — Dat. apud Urbemveterem, IV idus junii, anno quarto.»

In e. m. dilectis filiis capitulo ecclesie Aniciensis. Onerosa pastoralis officii etc. ut in proxima superiori, verbis convenienter mutatis, usque in episcopum et pastorem. Quocirca mandamus quatinus eidem episcopo tanquam patri et pastori animarum vestrarum plene ac humiliter intendentes obedientiam et reverentiam debitam sibi exhibere curetis. Alioquin sententiam quam ipse propter hoc rite tulerit in rebelles etc. Dat. ut supra.

In e. m. clero civitatis et diocesis Aniciensis.

In e. m. populo civitatis Aniciensis. Onerosa etc. usque pastorem. Quo circa universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente per apostolica vobis scripta, mandantes quatinus prefatum episcopum devote recipientes et honeste tractantes, ejus salubribus mandatis et monitis humiliter intendatis. Ita quod ipse in vobis devotionis filios se reperisse letetur, vosque in eo patrem habeatis benivolum et assidue gratiosum. Dat. ut supra.

In e. m. universis ecclesie Aniciensis vassallis etc. usque intendatis. Et prestantes eidem fidelitatis solite juramentum, consueta exhibere servitia et de juribus ac redditibus sibi debitis eidem respondere curetis. Ita quod ipse in vobis etc. usque gratiosum. Alioquin sententiam sive penam quam ipse spiritualiter et temporaliter. Dat. ut supra.

In e. m. carissimo in Christo filio.. regi Francie illustri. Ad fovendum in caritatis visceribus ecclesiarum prelatos ac eos precipue qui pontificali dignitate preminent, eo te fiducialius nostris precibus invitamus, quo in bonorum operum executione celsitudinis regalis affectum extimamus magis promptum ac facilem invenire, maxime cum apud Deum, cujus prelati hujusmodi sunt ministri, retributionis eterne premium et apud homines laudis preconium tibi exinde acquiratur. Sane dudum Aniciensi ecclesia etc. usque in episcopum et pastorem. Quocirca celsitudinem regiam rogamus et hortamur attente quatinus eundem episcopum ad commissam sibi divina et apostolica providentia predictam Aniciensem ecclesiam, cum nostre gratie plenitudine accedentem, habens ob reverentiam apostolice sedis et nostram propensius commendatum, sic te sibi favorabilem exhibeas et benignum, ac ipsum et eandem ecclesiam benivolentie tue gratia prosequaris quod ipse regalibus fultus presidiis commissum sibi regimen facilius et efficacius prosequatur, nosque magnificentiam tuam dignis in domino laudibus possimus merito commendare. Dat. ut supra.

506 Orvieto, 16 juin 1284.

Hominibus Castri Frusinonis concedit ut possint eligere conestabiles pluresque alios officiales, sed non sine rectoris illius castri consensu, et diversa jura pecuniaria eis tribuit. — (Reg. 41, fol. 200 ; ann. IV, n° 14 ; - POTTHAST, n° 26.161).

« *Dilectis filiis universis hominibus Castri Frusinonis, tam nobilibus quam peditibus, municipibus, habentibus domicilium in eodem, Verulane diocesis.* Sincere devotionis affectus et inconcusse fidei puritas, quam ab olim ad nos et Romanam ecclesiam matrem vestram habuisse noscimini, vosque habituros confidimus in futurum, merito nos inducunt ut in hiis que vobis cedant ad commodum petitionibus vestris favorabiliter annuamus. Hinc est quod vestris supplicationibus inclinati, vobis in fidelitate et devotione sedis apostolice persistentibus, auctoritate presentium, de gratia concedimus speciali ut possitis eligere conestabiles videlicet unum de militibus et quatuor de peditibus Castri Frusinonis ad obediendum rectoribus, prepositis et officialibus nostris et successorum nostrorum, ac Romane ecclesie, qui in eodem castro, per nos et eandem ecclesiam, erunt pro tempore necnon et ad eligendum milites et pedites ad eundem, in servitium ipsius ecclesie ac pro necessitatibus, seu negotiis, castri predicti, et ad assignandum homines ad faciendum opera dicti castri, et ad eligendum quatuor consiliarios militum et totidem peditum per quos eligantur camerarii castri ejusdem et etiam guardiani ad custodiam silvarum, segetum, vinearum et bonorum hominum dicti castri et viarii pro custodia et reparatione viarum. Ita tamen quod predicti conestabiles, consiliarii, camerarii, guardiani et viarii, et quicunque eligendi per eos vel ipsorum aliquos, non possint eligi vel assumi nisi de municipibus habentibus domicilium in predicto castro, dumtaxat et quod super hiis que ad merum et mixtum imperium, jurisdictionem, segnoriam et regimen ipsius castri et territorii ejus quomodolibet pertinebunt, nullam prorsus habeant potestatem. Nec predicti conestabiles, consiliarii, camerarii, guardiani ac viarii et quicunque eligendi per eos, vel ipsorum aliquos, possint eligi vel assumi, absque consensu rectoris qui pro tempore preerit castro prefato, sed nec electi vel assumpti possint aliquid facere, vel statuere, absque ejusdem rectoris assensu, et quod, sine ejus assensu, fecerint sit cassum et vacuum ipso jure, nec aliquam habeat firmitatem, quinimmo, ipsi, in sui creatione, juramenta prestabunt de manutenendo et adjuvando rectorem et obediendo eidem, ponendo pro tempore in dicto castro per nos et successores nostros et Romanam ecclesiam supradictam, et quod non erunt in consilio, vel in facto, quod predictus rector vel ejus familia ledantur, vel patiantur injuriam, in personis vel rebus. Concedimus quoque vobis persistentibus in devotione ac fidelitate ecclesie supradicte, medietatem eorum que obvenient de penis, condempnationibus seu emendis pecuniariis, tam per rectorem Campanie suosque officiales, quam per rectorem ipsius castri, qui pro tempore, per nos aut successores, vel ecclesiam Romanam ponentur, inponendis et exigendis dumtaxat hominibus, incolis vel habitatoribus dicti castri, aut ejus territorii vel habentibus domicilium in eodem. Preterea, concedimus vobis medietatem de bannis et penis imponendis et exigendis singularibus personis de castris, seu locis, vobis circumpositis, et territoria contigua, vobiscum habentibus, que in rebus et bonis vestris et territoria contigua, vobiscum habentibus, que in rebus et bonis vestris et territorii vestri dampna aliqua irrogarent, quorum occasione penam, sive bannum, ea vice a personis singularibus exigendum quantitatem decem librarum proventus non excedat. Ita quod medietas medietatis hujusmodi nobilibus dicti castri assignetur, et alia medietas medietatis ipsius conservetur ut fiant ex ea que fuerint exinde facienda. Horum tamen majorum criminum et publicorum, videlicet falsitatis, proditionis et perduellionis penas, condempnationes et emendas pecuniarias, ac bona que obvenient ex eisdem, nobis et successoribus nostris, ac Romane ecclesie retinemus et reservamus in totum, in quibus nichil participabitis sicut nec etiam participabitis in mulctis, condempnationibus sive penis, que communitati vel universitati vestre per nos, eosdem successores et Romanam ecclesiam, rectores provintie Campanie aut officiales eorum imponi continget. De penis vero condempnationibus seu mulctis imponendis extraneis, vel hiis qui dicti castri incole vel habitatores non essent, ratione delicti vel excessus in dicto castro vel ejus territorio commissorum, vel committendorum, vos, tam nobiles quam pedites nullam habebitis portionem, sed ad nos et Romanam ecclesiam pertinebunt. Statuimus insuper ut ea que, ut supra dictum est, vobis nobilibus et peditibus de speciali gratia duximus concedenda, in nullum collegium, universitatem vel singularem seu singulares personas quomodolibet possitis transferre, vel aliquo modo alienare, vel quomodolibet obligare et si contra factum fuerit, ex nunc decernimus irritum et inane, et nichilominus vos nobiles et pedites ac homines dicti castri supradictis omnibus et singulis reservatis, [fol. 200v] seu concessis, vobis vel vestrum alicui, sitis ipso jure privati. Per predicta vero, vel aliquod predictorum, volumus quod in nullo derogetur juri, seu juribus, nobis et Romane ecclesie alias quomodolibet competentibus, in castro et territorio, ac vobis nobilibus, peditibus et hominibus supradictis, sed illa nobis nostrisque successoribus et Romane ecclesie plene et totaliter reservamus et volumus omnino in suo robore

permanere. Nulli ergo etc. nostre concessionis reservationis et constitutionis etc. — Dat. apud Urbemveterem, XVI kal. julii, anno quarto. »

507 Orvieto, 10 juin 1284.

Magistro Rodulpho de Torota, canonico Virdunensi, eum in archiepiscopatum Lugdunensem preficit. — (Reg. 41, fol. 200 v° ; ann., n° 15).

« *Magistro Rodulpho de Torota, electo Lugdunensi.* Dudum ecclesia Lugdunensis per obitum bone memorie Ademarii olim Lugdunensis archiepiscopi pastoris solatio destituta, dilecti filii.. decanus et capitulum ipsius ecclesie, certa die ad eligendum prefixa, vocatis et presentibus omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt comode interesse, pro futuri substitutione pastoris, prout moris est, convenientes in unum nonnullis inter se tractatibus habitis, qui non habuerunt effectum et dierum aliquibus continuationibus subsecutis, ac tandem deliberantes in electionis negotio, per viam procedere compromissi in sex ex canonicis ejusdem ecclesie concorditer et unanimiter compromittere curaverunt, concessa eis providendi hac vice de se ipsis vel aliis de gremio ipsius ecclesie per electionem canonicam vel postulationem concordem, eidem ecclesie de pastore plena et libera potestate, promittentes quod illum in suum et ecclesie predicte archiepiscopum reciperent et haberent, quem iidem sex usque ad consumptionem cujusdam candele ibidem accense, concorditer eligendum ducerent, vel etiam postulandum. Et demum, predicti sex secedentes in partem, diversis inter se tractatibus habitis, suisque votis diligenti examine discussis, juxta formam hujusmodi compromissi, in dilectum filium Drugellum, ejusdem ecclesie precantorem concorditer et unanimiter consenserunt, et dilectus filius Hugo Bruni, ecclesie memorate canonicus, qui erat unus de compromissariis supradictis, vice sua et collegarum speciali mandato, et voluntate expressa, de dicto Drugello in archiepiscopum ecclesie memorate, candela predicta adhuc durante providit, ipsumque nichilominus in archiepiscopum elegit ecclesie supradicte; ac idem Drugellus electioni hujusmodi de se facte consensit ad instantiam decani et capituli eorumdem. Cumque prefatus Drugellus propter hujusmodi electionis sue negotium ad sedem apostolicam accessisset, et dilectus filius Reginaldus, nepos quondam Yvonis abbatis monasterii Cluniacensis et quidam alii ecclesie prelibate canonici electioni predicti Drugelli se opponere curavissent, tandem Drugellus ipse, omne jus quod sibi ex electione competebat, eadem in manibus nostris libere resignavit. Nos itaque, diligentius attendentes quam sit ecclesiis onusta dispendiis ipsarum vacatio diuturna et propterea eidem ecclesie Lugdunensi paterne sollicitudinis studio precavere volentes, ne diutius illa pastoris regimine carere contingat, considerantes etiam laudanda tue conversationis merita, vite mundiciam, honestatem morum, donum scientie, alias que virtutes multiplices, quibus personam tuam bonorum dator altissimus decoravit, de te, canonico Virdunensi, eidem Lugdunensi ecclesie, de fratrum nostrorum consilio providemus, teque ipsi ecclesie preficimus in archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem illius tibi in spiritualibus et temporalibus committentes, firma concepta fidutia, quod dirigente domino actus tuos eadem Lugdunensis ecclesia per tue circumspectionis industriam prospere dirigetur, sibique salubria, domino largiente, provenient incrementa. Suscipiens itaque reverenter impositum a domino tibi onus, sollicitam ipsius ecclesie curam geras, gregem dominicum in illa tue discretioni commissum doctrina, verbi et operis, juxta datam tibi ex alto prudentiam, informando. Ita quod ecclesia eadem per tue vigilantie studium votivis proficiat commodis et successibus prosperis augeatur. — Dat. apud Urbemveterem, IV idus junii, anno quarto. »

In e. m. dilectis filiis.. decano et capitulo Lugdunensibus. Dudum ecclesia Lugdunensis etc. ut in proxima superiori verbis competenter mutatis usque incrementa. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus eidem electo tanquam patri et pastori animarum vestrarum plene ac humiliter intendentes, obedientiam et reverentiam debitam sibi exhibere curetis. Alioquin sententiam quam ipse propter hoc rite tulerit in rebelles etc. Dat. ut supra.

In e. m. Clero civitatis et diocesis Lugdunensium.

In e. m. Populo civitatis et diocesis Lugdunensium etc. usque incrementa. Quo circa universitatem vestram rogamus monenus et hortamur attente per apostolica vobis scripta mandantes quatinus prefatum electum devote recipientes et honeste tractantes ejus salubribus mandatis et monitis humiliter intendatis. Ita quod ipse in vobis devotionis filios se gaudeat invenisse vosque in eo patrem habeatis assidue gratiosum. Dat. ut supra.

In e. m. Universis vassallis ecclesie Lugdunensis etc. usque intendatis [fol. 201]. Et prestantes eidem fidelitatis solite juramentum consueta exhibere servitia et de juribus ac redditibus sibi debitis ei respondere curetis. Ita quod ipse in vobis filios devotionis inveniat, vosque in eo patrem habeatis assidue gratiosum. Alioquin sententiam sive penam quam ipse spiritualiter et temporaliter etc. Dat. ut supra.

In e. m. Universis suffraganeis ecclesie Lugdunensis etc. usque incrementa. Quo circa [*reliqua in codice desunt*].

In e. m. Carissimo in Christo filio.. regi Francie

illustri etc. usque incrementa. Quocirca Serenitatem Regiam paterno rogamus et hortamur affectu, quatinus eundem electum, quem ob suorum exigentiam meritorum benivolentia prosequimur speciali et commissam sibi ecclesiam habens pro nostra et apostolice sedis reverentia, propensius commendatos, sic te illi favorabilem et benignum exhibeas ipsum et eandem ecclesiam regalis dilectionis gratia prosequendo, quod idem electus tuis presidiis circumfultus commissum sibi regimen facilius et efficacius, cooperante domino, prosequatur nosque proinde Magnificentiam Regiam dignis in domino laudibus attollamus. Dat. ut supra.

In e. m. Venerabili fratri.. episcopo Eduensi etc. usque incrementa. Cum itaque, sicut accepimus, administrationem bonorum ejusdem ecclesie Lugdunensis in spiritualibus et temporalibus, prout de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine, ad te, vacante predicta ecclesia, pertinere dicitur, exercere noscaris fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatimus administrationem eandem eidem electo, vel procuratori suo, ejus nomine, sublata qualibet difficultate, restituas cum super hoc ab eo fueris requisitus. Illam in hoc promptitudinem servaturus ut possis exinde non inmerito commendari. Dat. ut supra.

In e. m. eidem episcopo Eduensi etc. usque incrementa. Cum itaque, sicut accepimus, administrationem bonorum ejusdem ecclesie Lugdunensis in spiritualibus et temporalibus a prefatis decano et capitulo pridem tibi, ut dicitur, tempore vacationis ipsius ecclesie assignatam exercere noscaris, prout de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine, ad te asseritur pertinere, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus administrationem eandem, predictis decano et capitulo cum super hoc ab eis fueris requisitus, sublata qualibet difficultate, restituas eidem electo vel procuratori suo, ejus nomine, per eosdem libere assignandam. Illam in hoc promptitudinem etc. Dat. ut supra.

508 Orvieto, 10 juin 1284.

Decano et capitulo ecclesiae Lugdunensis mandat quatinus administrationem ipsius ecclesiae nuper ab Eduensi episcopo, qui tempore vacationis secundum legitimam consuetudinem illam tenebat, restitutam, Rodulpho de Torota, electo Lugdunensi, assignent. — (Reg. 41, fol. 201 ; ann. IV ; n° 16 — POTTHAST, 22.158).

« *Dilectis filiis.. decano et capitulo ecclesie Lugdunensis.* Cum sicut intelleximus. — Dat. ut supra »

509 Orvieto, 5 juin 1284.

Episcopo Sabinensi, apostolicae sedis legato, mandat quatinus fratrem Leonardum, ordinis fratrum minorum, in episcopum Tricaricensem sine superiorum licentia electum, illo defectu non obstante, praeficiat in episcopatum dicti diocesis. — (Reg. 41, fol. 201 ; ann. IV, n° 17).

« *Venerabili fratri.. episcopo Sabinensi apostolice sedis legato.* Ex parte tua nobis extitit intimatum quod nuper Tricaricensis ecclesia, per obitum bone memorie Palmerii, Tricaricensis episcopi, pastoris solatio destituta, quedam pars canonicorum ejusdem ecclesie dilectum A. de Turbio, reliqua vero pars canonicorum ipsorum, dilectum filium I. de Pendino, monasteriorum abbates, in Tricaricensem episcopum, in discordia elegerunt. Verum eisdem abbatibus renuntiantibus in manibus venerabilis fratris nostri.. Acherontini archiepiscopi, loci metropolitani, hujusmodi electionibus de se factis, capituloque predicte ecclesie compromittentibus concorditer et unanimiter super celebranda electione hujusmodi in archiepiscopum prelibatum, idem archiepiscopus, auctoritate hujusmodi compromissi, de dilecto filio fratre Leonardo, ordinis fratrum minorum, penitentiario tuo, tuisque obsequiis insistente, predicte Tricaricensi ecclesie duxit canonice providendum. Cum autem dictus frater Leonardus, cui non est liberum, absque sui superioris permissione suum ad hoc prebere consensum, a provintia Januensi, unde idem frater existit, adeo distare dicatur quod suum provintialem, ministrum ipsius provintie, a quo secundum ipsius ordinis instituta et specialem indulgentiam sedis apostolice eidem ordini super hoc concessam, esset postulanda licentia, provisionem hujusmodi acceptandi non posset adire comode pro licentia hujusmodi obtinenda, tu, fratrem ipsum de religionis honestate ac multiplicium muneribus gratiarum commendans, nobis per tuas speciales litteras supplicasti [fol. 201v] ut eidem fratri licentiam ipsam concedere dignaremur. Nos itaque, de tua circumspectione provida, plenam in domino fiduciam obtinentes, fraternitati tue presentium auctoritate concedimus ut si consideratis diligenter circumstantiis universis que super premissis fuerint attendende, secundum Deum et utilitatem ejusdem ecclesie, id noveris faciendum aliudque canonicum non obsistat institutis et indulgentia non obstantibus prelibatis, eidem fratri Leonardo licentiam super hoc concedere valeas oportunam. — Dat. apud Urbemveterem, nonis junii, anno quarto.»

510 Orvieto, 10 juin 1284.

Henricum, electum Virdunensem, praeficit in episcopatum illius diocesis — (Reg. 41, fol. 201 v° ; ann. IV, n° 18).

« *Henrico, electo Virdunensi.* Illius exemplo qui hominem, quem ad ymaginem et similitudinem suam fecerat, posuisse legitur ad custodiam paradisi, ut commissa sue custodie salva forent seque ibidem, tanquam

operosus agricola fructuosis operibus exerceret, illos de quorum scientia, munditia vite ac approbata conversatione indubitatam fiduciam gerimus in partem sollicitudinis ad custodiendum gregem dominicum eo libentius evocamus, quo idem grex, per tales custodes consuevit et salubrius verbo domini refici et securius a lupi rapacis morsibus custodiri. Dudum, siquidem Virdunensi ecclesia, per obitum bone memorie Gerardi episcopi Virdunensis, pastoris solatio destituta, dilecti filii capitulum ipsius ecclesie, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt comode interesse, pro futuri substitutione pastoris, sicut moris est, insimul convenerunt; ac super hoc per viam scrutinii procedentes, tres ex ipsis elegerunt concorditer scrutatores, qui secreto et sigillatim vota eorum et aliorum scrutati fuerunt, ac demum, hujusmodi publicato scrutinio, in communi compertum est quod vota ipsorum, seu canonicorum ejusdem ecclesie, inveniebuntur esse divisa. Nam, quidam de capitulo ipso dilectum filium Rodulphum de Torota, Lugdunensem electum, tunc Virdunensem, nonnulli vero, te, tunc Lugdunensem, canonicos, in Virdunensem episcopum nominarant. Verum dilectus filius .. decanus Virdunensis, unus de nominantibus Rodulphum eundem, vice sua et aliorum in eum consentientium, ipsum ac Nicolaus de Lincheriis, canonicus Virdunensis, unus de tuis electoribus, vice sua et aliorum qui in te consenserant, te in Virdunensem episcopum elegerunt, sicque due electiones, una videlicet de dicto Rodulpho et reliqua de te, fuerunt ibidem in discordia celebrate. Negotio itaque hujusmodi electionum per appellationem ad sedem apostolicam devoluto, postquam super illo fuit primo coram felicis recordationis Nicolao papa predecessore nostro, ac deinde coram nobis, post illum ad summi apicem apostolatus assumptis, necnon coram aliquibus de fratribus nostris, datis super hoc auditoribus diutius disceptatum, prefatus Rodulphus et tu, omne jus quod vobis ex premissis electionibus competebat, libere in nostris manibus resignastis, dictusque decanus ac aliqui canonici Virdunenses apud sedem apostolicam constituti, renuntiaverunt expresse omnibus objectionibus, oppositionibus, precessibus et exceptionibus que in hac parte ipsis in premissis competerent seu possent competere in futurum. Nos autem, sollicite precavere volentes ne dicta ecclesia ulterioris vacationis incomoda patiatur, te prefate Virdunensi ecclesie, de fratrum nostrorum consilio, in episcopum preficimus et pastorem firma ducti fiducia quod cum tu sicut fidedignorum testimonia protestantur esse noscaris, vir discretus et providus, vita et honestate decorus, congrua litterarum scientia preditus, generis et morum nobilitate preclarus, perpetuam industriam prefata ecclesia spiritualiter et temporaliter domino votiva su cipiet incrementa. Quocirca, discretioni tue per apostolica scripta preficiendo mandamus, quatinus ad eandem ecclesiam Virdunensem, cujus tibi administrationem in spiritualibus et temporalibus plene committimus, de apostolice sedis et nostro favore confisus, cum divine gratia benedictionis accedas, te, in cura illius, talem corde sollicito redditurus ut grex tue circumspectioni creditus in te salutis ministrum repperisse gaudeat et tibi tandem patris eterni benignitas unicuique responsura, pro meritis, eterne retribuat gloriam claritatis. — Dat. apud Urbemveterem, IV idus junii, anno quarto. »

In e. m. .. primicerio .. decano et capitulo Virdunensibus. Illius exemplo etc. ut in proxima superiori, verbis competenter mutatis, usque incrementa. Quocirca universitatem vestram attente rogandam duximus et monendam, per apostolica vobis scripta mandantes quatinus eundem Henricum electum vestrum, cui plenam ipsius ecclesie Virdunensis in spiritualibus et temporalibus administratione commisimus, cum ad vos pervenerit admittentes ylariter et honorifice pertractantes, sibi tanquam patri et pastori animarum vestrarum debitam impendatis obedientiam et reverentiam ac ejus salubribus mandatis et monitis efficaciter intendatis. Ita quod ipse letetur in vobis devotionis filios invenisse et vos in eo per consequens patrem habere benivolum gaudeatis. Alioquin sententiam quam idem propter hoc rite etc. Dat. ut supra.

In e. m. clero civitatis et diocesis Virdunensium.

In e. m. populo civitatis et diocesis Virdunensium etc. usque pertractantes. Ejus salubribus mandatis et monitis efficaciter intendatis, ita quod ipse letetur in vobis devotionis invenisse filios et vos in eo per consequens patrem habere benivolum gaudeatis. Dat. ut supra.

In e. m. dilectis filiis nobilibus viris, comitibus, baronibus, militibus et vassallis omnibus ecclesie Virdunensis. Laudis humane preconium et premium divine benedictionis acquiritur si condigna reverentia spiritualibus partibus affectu prompto a devotis filiis impendatur. Dudum siquidem etc. usque honorifice pertractantes. Ac debito prosequentes honore sibi tanquam vestro domino temporali fidelitatis solite juramentum ac homagium debitum impendere, necnon de redditibus ac juribus in quibus ei tenemini integre respondere curetis. Alioquin sententiam sive penam quam idem propter hoc etc. Dat. ut supra.

In e. m. carissimo in Christo filio R., illustri regi Romanorum. Apostolice dignitatis deposcit officium ut destitutas presidio prelatorum ecclesias nos condigne provisionis consolemur effectu, ita quod in eis, propitiante domino, et cultus vigeat divini nominis et consurgat prosperitas quibuscunque cessantibus detrimentis. Dudum siquidem Virdunensis ecclesia etc. usque incrementa. Quocirca Serenitatem Regiam attende rogandam duximus et hortandam quatinus personam ipsius electi, cui plenam ejusdem ecclesie Virdunensis in spiritualibus et temporalibus administrationem commisimus, pro divina et apostolice sedis ac nostra reverentia, sic affectu benivolo et oportuni favoris pre-

sidio prosequaris, quod ipse in exequenda sollicitudine sibi credita possit prosperari facilius. Nosque magnificentiam regiam dignis in domino laudibus exinde attollere valeamus. Dat. ut supra.

511 Orvieto, 2 juin 1284.

J. Archiepiscopo Gneçnensi, procedat collationi diversarum ecclesiarum sui diocesis a tanto tempore vacantium quod collatio earum ad sedem apostolicam legitime devoluta est. — (Reg. 41, fol. 202 ; ann. IV, n° 19 ; — POTTHAST, n° 22.148).

« *Venerabili fratri J. archiepiscopo Gneçnensi.* Ex parte tua fuit propositum. — Dat. apud Urbemveterem, IIII non. junii, anno quarto. »

512 Orvieto, 9 juin 1284.

Clementi, priori generali fratrum heremitarum ordinis sancti Augustini electionem de illo nuper apud Urbemveterem canonice factam, super po tulatione fratrum Egidii de Urbe, Jacobi de Alexandria et Johannis de Fano ad scrutanda vota deputatorum, confirmat. — (Reg. 41, fol. 202 ; ann. IV, n° 20).

« *Dilecto filio Clementi, priori generali fratrum heremitarum ordinis sancti Augustini.* Nuper, dilecti filii. — Dat. apud Urb mveterem, V idus junii, anno quarto. »

513 Orvieto, 9 juin 1284.

Fratribus heremitis ordinis sancti Augustini, electionem per ipsos de persona fratris Clementis in priorem generalem factam confirmat et approbat, mandatque eis quatinus erga illum obedientiam et reverentiam debitam adimplere curent. — (Reg. 41, fol. 202 v° ; ann. IV, n° 21).

« *Dilectis filiis universis fratribus heremitis ordinis sancti Augustini.* Nuper generali capitulo — Dat. apud Urbemveterem, V idus junii, anno quarto. »

514 Orvieto, 19 juin 1284.

Johanni, abbati monasterii Aureevallis, electionem de illo factam in abbatem istius monasterii, quadam appellatione a fautore suo derelicta, confirmat. — (Reg. 41, fol. 202 v° ; ann. IV, n° 22).

« *Johanni abbati monasterii Aureevallis ordinis sancti Augustini Pictavensis diocesis.* Dudum monasterio Aureevallis ordinis sancti Augustini Pictavensis diocesis abbatis regimine destituto dilecti filii .. prior et conventus ejusdem monasterii, certa die ad eligendum prefixa, vocatis et presentibus omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt comode interesse, insimul convenerunt et demum eligentes per viam procedere compromissi, in dilectum filium magistrum Radulphum, decanum ecclesie Pictavensis, voluntate unanimi et concordi voto compromittere curaverunt, concessa sibi providendi ea vice, per electionem canonicam, ipsi monasterio de abbate plena et libera potestate, promittentes quod illum in suum et ipsius monasterii abbatem reciperent et haberent, quem prefatus decanus in abbatem ejusdem monasterii duceret eligendum. Et tandem decanus ipse, secum diligenti consideratione prehabita, hujusmodi compromissi forma, te, tunc ejusdem monasterii canonicum, in abbatem dicti monasterii duxit canonice eligendum, tuque electioni hujusmodi de te facte, ad predictorum prioris et conventus instantiam consensisti. Cumque ipsius electionis tue confirmationem dicti prior et conventus a venerabili fratre nostro.. episcopo Pictavensi diocesano loci petere curavissent, dilectus filius Johannes Saunerii, canonicus monasterii supradicti, electioni se opponens eidem ne dictus episcopus ad confirmandam predictam electionem procederet, ad sedem apostolicam appellavit. Sicque ipsius electionis negotio ad sedem eandem legitime devoluto, nos, dilectum filium nostrum Comitem, tituli sanctorum Petri et Marcellini presbiterum cardinalem, concessimus super hoc partibus auditorem, coram quo in causa hujusmodi extitit aliquandiu litigatum et tandem prefatus Johannes Saunerii, saniori usus consilio, liti et oppositioni hujusmodi totaliter sponte cessit. Nos igitur, quia per diligentem electionis et electe persone examinationem, quam fieri fecimus, invenimus electionem eandem de te, persona utique ydonea, canonice celebratam, eam de fratrum nostrorum consilio, duximus confirmandam ; teque preficimus ipsi monasterio in abbatem, curam et administrationem illius in spiritualibus et temporalibus tibi nichilominus committendo ; et subsequenter faciendo tibi, per venerabilem fratrem nostrum J., Prenestrinum episcopum, munus benedictionis impendi, firma concepta fidutia quod, dirigente domino, actus tuos prefatum monasterium per tue circumspectionis industriam prospere dirigetur et salubria, dante domino, suscipiet incrementa. Reverenter itaque jugum domini suscipe ac suavi ejus oneri humiliter colla submitte, prefati monasterii sollicitam curam gerens, gregem dominicum in eo tibi commissum doctrina verbi et operis informando, ita quod, per tue diligentie studium, sepefatum monasterium votivis proficiat comodis et optatis consurgere valeat incrementis. - Dat. apud Urbemveterem, XIII kal. julii, anno quarto. »

In e.m. dilectis filiis .. priori et conventui monasterii Aureevallis, ordinis sancti Augustini, Pictavensis diocesis. Dudum etc. ut in proxima superiori, verbis competenter mutatis, usque incrementa. Quocirca, universitati vestre, per apostolica scripta mandamus quatinus eidem abbati, tanquam patri et pastori animarum vestrarum, plene ac humiliter intendentes obedientiam et reverentiam debitam sibi exhibere curetis, alioquin sententiam quam ipse propter hoc rite tulerit in rebelles ratam etc. Dat. ut supra.

In e.m. universis vassallis monasterii Aureevallis etc. usque mandamus, quatinus eundem abbatem devote recipientes et honeste tractantes, ejus salubribus mandatis et monitis humiliter intendatis et prestantes eidem fidelitatis solite juramentum, consueta exhibere servitia et de juribus ac redditibus sibi debitis, ei respondere curetis. Ita quod ipse in vobis devotionis filios se repperisse letetur, vosque in eo patrem habeatis assidue gratiosum, Alioquin sententiam sive penam quam ipse propter hoc rite tulerit aut statuerit in rebelles ratam etc. Dat. ut supra.

515 Castello della Pieve, 4 septembre 1284.

Henrico de Coycton, resignanti ecclesiam sancti Petri de Boevilleta, Carnotensis diocesis, ecclesiam sancti Lamberti de Levatis vacantem per mortem, apud sedem apostolicam, magistri Petri, dicti Pioix, quondam rectoris, confert. — (Reg. 41, fol. 203; ann. IV, n° 23).

« *Henrico de Coyccon* (1), *presbitero rectori ecclesie sancti Lamberti de Levatis, juxta Salmurium, Andegavensis diocesis.* Attendentes tue probitatis. — Dat. apud Castrumplebis, II nonas septembris, anno quarto. »

In e.m. dilectis filiis magistro Henrico, dicto de Lemovicis, capellano nostro ac.. priori sancti Martini de Castriduno. Dat. ut supra.

516 Orvieto, 13 juin 1284.

Abbati et conventui monasterii de Bassofonte, mandat quatinus ad solutionem aliquorum debitorum olim ipsius monasteri nomine contractorum non tenneandur.— (Reg. 41, fol. 203; ann. IV. n° 24).

« *Abbati et conventui monasterii de Bassofonte, premonstratensis ordinis, Trecensis diocesis.* Indempnitati vestre. — Dat. apud Urbemveterem, idus junii, anno quarto, »

517 Orvieto, 13 juin 1284.

Episcopo Trecensi mandat quatinus omnes redditus monasterii de Bassofonte colligat et, assignata ex eis abbati et conventui substentatione congrua, de reliquo, usuris omnino cessantibus, debitoribus monasteri satisfaciat convenienter. — (Reg. 41, fol. 203 v°; ann. IV, n° 25).

« *Venerabili fratri episcopo Trecensi.* Ad audientiam nostram — Dat. apud Urbemveterem, idibus junii, anno quarto. »

518 Castello della Pieve, 24 septembre 1284.

Priorem fratrum predicatorum Maguntinensium committit ut, si bona fide, Henricus, lantgravius terrae Hassyae et Theoderica, comitis Clevensis soror, matrimonium quarto gradus consanguinitatis impedimento infectum, contraxerunt, acsi separatio eorum gravia discrimina suscitari potest, illos de impedimento supradicto dispenset. — (Reg. 41, fol. 203 v°; ann. IV, n° 26; — POTTHAST, n° 22.113.

« *..priori fratrum ordinis predicatorum Maguntin.* Exhibita nobis dilecti filii nobilis viri Henrici, lantgravii domini terre Hassye et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Theoderice, sororis dilecti filii nobilis viri.. comitis Clevensis, Maguntine diocesis, petitio continebat quod ipsi, olim ignorantes quod aliqua esset consanguinitas inter eos, que possit matrimonium impedire, publice in facie ecclesie, premissis bannis, prout est moris, matrimonium invicem contraxerunt, nullo super hoc contradicente vel impedimentum aliquod proponente; ac postmodum inter eos carnali copula subsecuta, plures filios procrearunt. Et tandem compertum extitit quod predicti Henricus et Theoderica quarto sunt consanguinitatis gradu conjuncti. Quare dicti Henricus et Theoderica, habentes exinde conscientias remordentes super hoc, apostolice sedis misericordiam implorarunt. Et asserentes quod ex hujusmodi matrimonii separatione, si fieret, gravia in partibus illis guerrarum suscitari discrimina, generari scandala et multa rerum et personarum pericula contingeret evenire, nobis humiliter supplicarunt ut hujusmodi periculis occurrentes cum eis, quod impedimento hujusmodi non obstante in matrimonio remanere licite valeant dispensare misericorditer curaremus. Nos autem, qui salutem querimus singularum et libenter Christi fidelibus quietis comoda procuramus, volentes evitare pericula supradicta, quia tu de facto et facti circumstantiis habere poteris notitiam pleniorem presentium tibi auctoritate committimus, ut si premissis veritas suffragatur et prefati Henricus et Theoderica tactis sacrosanctis evangeliis prestito firmaverint juramento, quod contracti matrimonii predicti tempore impedimentum hujusmodi ignorabant et timeatur de periculis que narrantur, super quibus

(1) Les scribes de la chancellerie pontificale hésitent sur l'orthographe de ce nom, on trouve : *Coyclon, Coyccon* et *Coyrlon.*

tuam intendimus conscientiam onerare, cum Henrico et Theoderica predictis, quod eodem impedimento nequaquam obstante in sic contracto matrimonio remanere licite valeant, auctoritate nostra, dispenses, prout secundum Deum videris expedire, prolem susceptam et suscipiendam ex eis legitimam nuntiando. Non obstante indulgentia, si qua tibi vel ordini tuo a sede apostolica est concessa, quod non tenearis te intromittere de quibuscunque negotiis que tibi per ipsius sedis litteras committuntur, nisi in eis de indulto hujusmodi et ordine supradicto plena et expressa mentio habeatur. — Dat. apud Castrumplebis, VIII kal. octobris, anno quarto. »

519 Orvieto, 13 juin 1284.

Thome de Werychamtone, dispensetur dictus Thomas pro vitio illegitimae generationis, ad accedendas ecclesiasticas dignitates, citra episcopalem. — (Reg. 41, fol. 203 v°; ann. IV, n° 27).

« *Thome de Werychamtone, clerico, Saresburiensis diocesis.* Illegitime genitos. — Dat. apud Urbemveterem, idus junii, anno quarto. »

520 Castello della Pieve, 28 août 1284.

Magistro Gualtero de Fontanis, eum de ratione reddenda pro diversis negotiis, propter fidelitatem ejus notissimam, absolvit. — (Reg. 41, fol. 204; ann. IV, n° 28).

« *Magistro Gualtero de Fontanis, preposito de Ingreyo in ecclesia Carnotensi, capellano nostro.* Olim nobis in minori officio constitutis et postmodum etiam circa nostra servitia fuisti continue laudabiliter conversatus. Unde nos, tuam fidelitatem ac sollicitudinem attendentes, administrationem nostri hospicii et bonorum nostrorum, ac interdum aliqua negotia contingentia decimas, tam carissimo in Christo filio nostro Carolo regi Sicilie illustri, pro regni Sicilie negotii expeditione, quam etiam subsidio Terre Sancte concessas, postquam etiam fuimus ad officium apostolatus assumpti, nonnulla que cameram nostram et ecclesiam romanam contingunt et alia quamplura diversis modis et temporibus in totum, vel in partem, tibi exequenda commisimus et tractanda. Que quidem omnia et singula tibi commissa, fuisti fideliter et legaliter executus et de omnibus et singulis nobis rationem taliter reddidisti, quod sumus inde plene contenti. Ne igitur in posterum premissorum vel alicujus eorum occasione, quicquam ab aliquo tibi possit impingi aut aliquid molestationis inferri, te, de hiis universaliter et singulariter, duximus penitus absolvendum. Ita quod propter premissa, vel aliquod premissorum, nullam de cetero aliam rationem alicui reddere vel satisfactionem facere tenearis, nec ad id possis ab aliquo quomodolibet cohortari, tibi nichilominus presentes litteras in fulcimentum tue securitatis et premissorum certitudinem evidentem, ex certa scientia, concedentes. — Dat. apud Castrumplebis, V kal. septembris, anno quarto. »

521 Orvieto, 13 juin 1284.

Archipresbytero Parmensi mandat quatinus Franciscum de Castello temere et injuste occupantem quamdam praebendam et canonicatum ecclesiae Parmensis moneat ut illam, infra octo dies, pacifice Uberto, nato quondam magistri Uberti de Bobio, dimittat et citet illum Franciscum coram curia apostolica, ad comparendum super falsitate quarumdam litterarum . — (Reg. 41, fol. 204; ann. IV, n° 29).

« ..*archipresbitero ecclesie Parmensis.* Sua nobis dilectus filius Ubertus, natus quondam Uberti de Bobio, juris civilis professoris, canonicus ecclesie Mutinensis, petitione monuit quod nos ei canonicatum dicte ecclesie ac prebendam nulli alii de jure debitam, si qua in eadem ecclesia tunc vacabat, apostolica auctoritate contulimus et providimus etiam de eisdem. Si vero nulla talis prebenda tunc vacaret, in dicta ecclesia prebendam aliam, que similiter de jure nulli alii deberetur conferendam dicto Uberto canonico, donationi apostolice duximus reservandam, decernentes extunc irritum et inane si secus super hiis a quoquam contingeret attemptari.. archipresbitero ecclesie sancti Martini de Bosis, Parmensis diocesis, dicto Uberto canonico executore, super hoc per nostras litteras deputato. Et licet tempore hujusmodi collationis nostre quedam prebenda in dicta ecclesia per mortem quondam magistri Jacobi de Bruneta, scriptoris nostri, ejusdem ecclesie canonici, vacavisset, que de jure dicto Uberto ac nulli alii debebatur. Tamen, Franciscus de Castello, qui pro ipsius ecclesie canonico se gerit, prebendam ipsam temere occupavit ac falso asserens quod ipse prebendam predictam pacifice possidebat et quod dictus Ubertus ipsum, super dicta prebenda, coram.. archipresbitero plebis de Castronovo, predicte diocesis, cui dictus archipresbiter sancti Martini super hoc commiserat, vices suas per litteras nostras fecerat ad judicium evocari contra dictum Ubertum canonicum super hoc ad..

abbatem monasterii sancti Petri Mutinensis et.. priorem de Cena ac eundem archipresbiterum plebis de Castronovo, quasdam sub nomine nostro confectas falsas litteras reportavit. Unde, nos tenorem predictarum litterarum falsarum nobis exhibitum facientes inspici diligenter, quia vehementer habebantur de falsitate suspecte, tibi nostris dedimus litteris in mandatis ut litteras ipsas falsas tibi faciens exhiberi, detentores ad exhibitionem earum, si opus foret, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo, eas si transcripto predicto concordarent, nobis per fidelem nuntium, sine aliqua dilatione, transmitteres, ut declararemus an aliqua et quanta eis fides adhiberi debetur. Cumque tu Francisco mandavisses eidem, ut tibi predictas falsas [litteras] exhiberet, ipse, tanquam sibi male conscius, pretendens se nolle litteris ipsis uti, firmavit proprio juramento quod eas in predictorum abbatis et prioris presentia lacerabat et quod non habebat, nec habere valebat easdem. Cum igitur predictus Franciscus adhuc prebendam detineat memoratam, dictus Ubertus canonicus nobis humiliter supplicavit ut providere sibi super hoc paterna sollicitudine curaremus. Quocirca, dilectioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus, si est ita, predictum Franciscum ex parte nostra moneas ut infra octo dies post [fol. 204v] monitionem tuam canonicatum et prebendam predictos eidem Uberto dimittat, pacifice et quiete, alioquin prefatus Franciscus ab officio et quolibet beneficio ecclesiastico sit auctoritate nostra eo ipso suspensus. Insuper etiam volumus et presentium tibi auctoritate mandamus, ut in omnem eventum Franciscum ipsum peremptorie ex parte nostra cites, ut infra quindecim dies predictos octo inmediate sequentes, compareat personaliter coram nobis super falsitate hujusmodi, suam si poterit innocentiam ostensurus, alioquin pro meritis recepturus. Nichilominus, quoque prefatum Ubertum in corporalem possessionem predictorum canonicatus et prebende per te, vel alium seu alios, auctoritate nostra, inducas et defendas inductum juxta predictarum nostrarum eidem archipresbitero sancti Martini directarum continentiam litterarum. Diem vero citationis hujusmodi et formam et quicquid inde feceris nobis per tuas litteras harum seriem continentes studeas fideliter intimare. — Dat. apud Urbemveterem, idibus junii, anno quarto. »

522 Pérouse, 13 novembre 1284.

Magistro Johanni, dicto Romano, tali modo, defectu natalium non obstante, quod ad archiepiscopalem dignitatem, si ita evenerit, promoveri possit eum dispensat.— (Reg. 41, fol. 204 v°; ann. IV, n° 30).

« *Magistro Johanni, dicto Romano, precantori ecclesie Lincolniensis.* Virtutum merita. — Dat. Perusii, idibus novembris, anno quarto. »

523 Pérouse, 22 novembre 1284.

Communem et populum Ariminensem sub speciali apostolicae sedis protectione, salvis juribus omnibus, suscipit. — (Reg. 41, fol. 204 v°; ann. IV, n° 31).

« *Dilectis filiis communi et populo Ariminensibus.* Sedes apostolica, pia mater. — Dat. Perusii, X kal. decembris, anno quarto. »

524 Pérouse, 27 novembre 1284.

Episcopum Cabilonensem committit ut, si bona fide Ludovicus de Sabaudia et Johanna de Monteforti, comitissam Foresii, matrimonium, quarto gradus consanguinitatis impedimento infectum, contraxerunt, acsi separatio eorum gravia pericula suscitari potest, illos de impedimento supradicto dispenset. — (Reg. 41, fol. 204 v°; ann. IV, n° 32.)

« *Venerabili fratri episcopo Cabilonensi.* Exhibita nobis. — Dat. Perusii, V kal. decembris, anno quarto. »

525 Pérouse, 11 novembre 1284.

Stephanum, filium Johannis Stephani, et Mabiliam, filiam Lucae de Sabello, cives Romanos, ad pacem conservandam et inimicitias veteres tollendas matrimoniali conjunctione, de quarto gradus consanguinitatis impedimento, dispensat . — (Reg. 41, fol. 205; ann. IV, n° 33).

« *Dilecto filio Stephano, dilecti filii nobilis viri Johannis Stephani et dilecte in Christo filie Mabilie, dilecti filii nobilis viri Luce de Sabello, filiis, civibus Romanis.* Cum summus pontifex. — Dat. Perusii, III idibus novembris, anno quarto. »

526 Orvieto, 20 juin 1284.

Frederico, episcopo Senogaliensi, electionem nuper de illo canonice factam, inaniter contestatam, confirmat. — (Reg. 41, fol. 205; ann. IV, n° 34).

« *Venerabili fratri Frederico episcopo Senogaliensi.* Dudum Senogaliensis ecclesia, per obitum bone memorie J., Senogaliensis episcopi, pastoris solatio destituta, capitulum ejusdem, duobus ex eis tunc gravi

infirmitate detentis, Andree videlicet de Fano ipsi capitulo, et Henrico de Ancona, Goffrido ipsius ecclesie canonico committentibus in hujusmodi electionis negotio totaliter vices suas, die ad eligendum prefixa, vocatis omnibus qui voluerunt, potuerunt et debuerunt commode interesse, pro futuri substitutione pastoris convenientes in unum, tandem, post habitum inter eos super electione hujusmodi diligentem tractatum, discesserunt eorumdem votis in diversa divisis. Postmodum vero, cum eodem die dicti capitulum pro quibusdam aliis negotiis ipsius ecclesie tractandis iterum convenissent, Oratius de Senogalie stipatus multitudine armatorum ex parte nobilis viri Thome de Raymundinis, tunc potestatis Senogaliensis, ad capitulum accedens, eosdem et tandem eis denuntians, quod intentionis potestatis erat ut Albertinum, abbatem monasterii sancti Gaudentii Senogaliensis diocesis, in episcopum Senogaliensem assumerent, mandavit eisdem ut in Symonem et Ugolinum canonicos ipsius ecclesie super hoc compromittere procurarent, alioquin personarum et rerum suarum periculum poterant non inmerito formidare. Quare tu, tunc prepositus et Nicola, Robertus et Goffridus ipsius ecclesie canonici, gladium impressionis hujusmodi que imminebat vehementius metuentes, clanculo de dicto capitulo discessistis. Sed reliqui de dicto capitulo, videlicet Guillelmus, Bonajuncta, Tyntus et Raynaldus, postea hujusmodi mandatum dicti potestatis temere adimplentes, in dictos Simonem et Ugolinum compromittere curaverunt, qui hujusmodi compromisso recepto, prefatum Albertinum in Senogaliensem episcopum elegerunt. Sequenti die denique, presentibus potestate, Oratio et armatis, prefatis Guillelmo, Bonajuncta, Tincto et Raynaldo electionem hujusmodi publicantes, dictus quoque Albertinus postmodum presentate sibi hujusmodi electioni consensit. Sicque tu et prefati college tui, postea attendentes quod hujusmodi electio per secularis potentie abusum erat presumpta, et per consequens prefati Guillelmus, Bonajuncta, Tynctus et Raynaldus illa vice existebant eligendi [fol. 205v] potestate privati et quod ad vos erat hujusmodi devoluta potestas, ut liberius ad aliam procederetis electionem, ad monasterium Claravallis de Castagnolo, ordinis Cisterciensis, Senogaliensis diocesis, concorditer accessistis et demum similiter, die ad eligendum prefixa, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt comode interesse, convenientes in unum ad providendum eidem ecclesie de pastore, ac demum super hoc eligentes per viam procedere compromissi, tu et dictus Nicola, vestro et eorundem Andree et Henrici nomine, in prefatos Robertum et Goffridum compromittere voto unanimi curavistis, promittentes illum recipere in episcopum quem ipsi ducerent eligendum. Iidem vero Robertus et Goffridus, hujusmodi compromisso recepto, secedentes in partem et tandem, pensatis meritis personarum que tanto congruerent oneri et honori, in te direxerunt unanimiter vota sua. Et postmodum, idem Goffridus, suo et ejusdem Roberti college sui nomine, te in episcopum Senogaliensem elegit et mox electionem publicavit eandem, tuque postea presentate tibi electioni consensisti. Porro postmodum in hujusmodi electionum negotiis ad sedem apostolicam devolutis, pie memorie Gregorius X, primo felicis recordationis Adrianum papam, predecessorem nostrum, tunc sancti Adriani diaconum cardinalem et eo tandem, postquam fuerat coram eo in hujusmodi negotiis lis legitime contestata, ad apostolatus apicem promoto, et demum viam universe carnis ingresso, pie memorie Joannes XXI, Romani pontifices predecessores nostri, bone memorie Symonem, tituli sancti Martini presbiterum, et eo postmodum sublato de medio, dilectum filium nostrum Gaufridum, sancti Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinales concesserunt partibus auditores. Cumque coram eodem Gaufrido cardinali aliquandiu in hujusmodi negotiis fuisset processum, quia per ea que acta fuerant coram eo non poterat de causa hujusmodi plene liquere, felicis recordationis Nicolaus papa predecessor noster, venerabili fratri nostro .. episcopo Pensauriensi et .. abbati monasterii sancti Petri de Massa, Callensis diocesis ac B. preposito ecclesie Fanensis, per suas sub certa forma dedit litteras in mandatis ut testes, quos utraque pars super articulis quos idem Gaufridus cardinalis, una cum interrogatoriis partium sub suo sigillo mittebat inclusos, produceret coram eo infra certum terminum, prudenter reciperent et examinare curarent et insuper, ab eodem Albertino, super eo quod dicebatur jus, si quod sibi in hujusmodi electione de ipso celebrata competebat, in manibus dicti predecessoris Johannis libere resignasse reciperent juramentum et, eo recepto, per hujusmodi juramentum peterent ab eodem an hujusmodi resignationem fecisset, et si forsan negaret eandem prefigerent sibi, et aliis partibus predictis, terminum peremptorium competentem, quo idem Albertinus, si jus suum super hoc prosequi vellet, personaliter, alie vero partes predicte per se vel procuratores ydoneos, cum omnibus actis, juribus et munimentis suis predictam causam contingentibus, apostolico se conspectui presentarent, justam sententiam recepture. Sane dicti episcopus Pensauriensis et college sui cum

testes pro parte tua, in negotio hujusmodi productos, auctoritate litterarum hujusmodi recepissent et examinassent etiam diligenter, altera parte super hoc infra terminum peremptorium eis ad hoc prefixum, pro se testes producere non curante, dictusque Albertinus per juramentum quod prestiterat requisitus ab eis, confessus fuisset omne jus quod sibi in eadem electione de ipso celebrata competebat, se in sepedicti predecessoris Johannis manibus posuisse, Albertino predicto certum terminum peremptorium prefixerunt quo ejusdem Nicolai predecessoris se conspectui presentaret prosecuturus jus, si vellet, si quod se habere crederet in premissis. Adveniente itaque hujusmodi termino, ab eisdem episcopo Pensauriensi et collegis prefixo, tu, coram eodem cardinali in termino ipso comparens, pro parte altera nemine comparente, procedi in negotio hujusmodi, quantum de jure esset instantius, postulasti. Idem vero Gaufridus cardinalis, quia dictus Albertinus postea citatus in audientia publica pluries, ut est moris, et expectatus diutius super hoc comparere coram eo contumaciter non curavit, depositiones testium qua iidem episcopus Pensauriensis et college super hoc receperant, quasque transmiserant sub suis sigillis inclusas, aperuit, de ipsius Nicolai predecessoris mandato, et examinari fecit easdem. Tandem cum idem Gaufridus cardinalis ad concludendum in causa ipsa, partibus certum terminum peremptorium assignasset et in ipso termino nullus pro Albertino comparebat, eodem tuque in causa hujusmodi concludi cum instantia postulares, dictus Gaufridus cardinalis in hujusmodi causa conclusit in contumatiam partis adverse, et habuit pro concluso, et nichilominus postea prefati capitulum electioni tue unanimiter consenserunt. Nos autem, postmodum per dilectos filios nostros Gervasium, tituli sancti Martini, et Comitem, tituli sanctorum Marcellini et Petri, presbiteros, et eundem Gaufridum, cardinales hujusmodi processum ejusdem Gaufridi cardinalis super hoc habitum examinari fecimus diligenter, et quia demum prout ex ipsorum fide digna relatione suscepimus, inventus est hujusmodi processus canonicus et compertum quod tu in electione de te celebrata plenum jus habebas, idem Gaufridus cardinalis in audientia publica eundem Albertinum citari fecit de speciali nostro mandato, ut infra certum terminum, quem ei ad hoc peremptorium prefixit, compareret coram eo in causa hujusmodi processurus. Verum, quia dictus Albertinus coram eodem [fol. 206] Gaufrido cardinali non curavit in hujusmodi termino comparere, nos, premissis plenius recensitis, eundem Albertinum in hujusmodi electione de ipso celebrata nullum jus habere et ab eo si quod habebat, penitus cecidisse, de fratrum nostrorum consilio, exigente justitia, declarantes electionem tuam utpote inventam de persona ydonea celebratam canonice confirmavimus, teque ipsi ecclesie in episcopum preficimus et pastorem facientes tibi postmodum per venerabilem fratrem nostrum episcopum Prenestrinum, munus consecrationis impendi, firma spe fidutiaque concepta, quod dicta ecclesia tue diligentie studio preservabitur a dispendiis et spiritualibus, actore domino, proficiet incrementis. Tolle igitur jugum domini, tam leve collis humilibus, quam suave et in dilectione Dei pascendum suscipe gregem ejus, super quem noctis vigilias diligens sollicitusque custodi, ut liber non pateat aditus invasori et dominus insuspicabili hora venturus, si te invenerit, sic agentem cursu consumato qui tuo labori proponitur et eorum fide servata, que tue sollicitudini committuntur, te fidelem compertum in modico supra multa constituat, ac in dilecta gaudiorum suorum tabernacula introducat. — Dat. apud Urbemveterem, XII kal. julii, anno quarto. »

In e. m. capitulo ecclesie Senogaliensis. Dudum etc. ut in proxima superiori, verbis convenienter mutatis, usque incrementis. Quo circa, universitati vestre per apostolica scripta mandamus quatenus eidem episcopo, tanquam patri et pastori animarum vestrarum, humiliter intendentes et exhibentes ei obedientiam debitam et devotam ejus salubria monita et mandata suscipiatis, devote ac efficaciter adimplere curetis. Alioquin sententiam quam idem rite propter hoc tulerit in rebelles ratam etc. Dat. ut supra.

In e. m. populo civitatis et diocesis Senogaliensis. Dudum etc. usque incrementis. Rogamus itaque universitatem vestram et hortamur attente, per apostolica scripta vobis precipiendo mandantes, quatenus eundem episcopum Senogaliensem cum ad vos pervenerit, tanquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes, ipsius monitis et mandatis salutaribus humiliter intendatis. Ita quod ipse in vobis devotionis filios et vos consequenter in eo patrem invenisse benivolum gaudeatis. Dat. ut supra.

527 Pérouse, 13 novembre 1284.

Christoforo de Tholomeis, officium collectionis decimae ad negotia Terrae Sanctae concessae in partibus Lombardiae et Marchiae Tervisinensis, Aquilegensis et Gradensis patriarchatus Januensisque archiepiscopatus, committit. — (Reg. 41, fol. 206 ; ann. IV, n° 35.)

« *Christoforo de Tholomeis, priori secularis ecclesie sancte Marie de Salteano, Senensis diocesis, capellano nostro, collectori decime in Lombardie et Marchie Tervisine partibus, Aquilegensi et Gradensi patriarchatibus et archiepiscopatu Januensi, auctoritate apostolica deputato.* Ad felicem promotionem negotii Terre Sancte, in qua

salutem humani generis Dei filius dignanter extitit operatus, cunctis desideriis anelantes opem et operam vigilanter impendimus, ut decimale subsidium in Lugdunensi concilio eidem terre concessum, sollicitis studiis colligatur, et ne illud, ob defectum depereat collectorie, ejus collectioni, cum expedit, de personis ydoneis providemus. Cum itaque sicut nuper ad audientiam nostram pervenit quondam magister Ventura, archipresbiter ecclesie Clusine, olim super colligenda decima predicte terre subventioni concesse in Lombardie et Marchie Tervisine partibus, Aquilegensi e Gradensi patriarchatibus et archiepiscopatu Januensi per sedem aposto licam deputatus, viam sit universe carnis ingressus, nos, nolentes collectionem predicte decime in partibus ipsis negligi vel omitti, et de tue circumspectionis industria plenam in domino fidutiam obtinentes, te in ejusdem collectionis ministerio predicto Venture, auctoritate presentium, subrogamus; discretioni tue per apostolica scripta mandantes quatinus predicte decime colligende in partibus, patriarchatibus et archiepiscopatu predictis, sub scripto modo sollicitam curam geras, videlicet ut in singulis civitatibus et diocesibus partium earumdem, de consilio locorum ordinarii, aut ejus vicemgerentis, si diocesanus ipse absens fuerit, duorum fidedignorum de ecclesia cathedrali constitutorum in dignitatibus, seu aliorum, quoad non exemptos, quoad exemptos, vero de consilio aliquorum proborum de contrata, duas personas fide et facultatibus si tales inveniantur comode, aut alias ydoneas in locis in quibus non sunt persone hujusmodi deputate, deputare studeas ad collectionis hujusmodi ministerium exequendum. Collectores vero quos ut premittitur deputabis, in forma jurare facias infrascripta. Et tu nichilominus partes easdem circumeas, diligentius scrutaturus qualiter in commisso sibi dicte collectionis officio iidem se habeant collectores, ipsisque de decima satisfiat collectamque per illos ex decima ipsa pecuniam, de predictorum ordinarii et aliorum consilio, facias per collectores eosdem, in tutis locis vel loco, deponi, per te, vel per alium, cui per litteras nostras mandaverimus assignandam. Tibi quoque, cum consilio eorumdem ordinarii aut aliorum, mutandi collectores ipsos quotiens videris expedire, ac, tam eos, quam etiam deputatos per archipresbiterum supradictum, compellendi ad reddendam coram eisdem ordinariis et aliis tibi computum, seu rationem plenariam, de collectis. Exigendi, quoque et recipiendi pecuniam truncorum Terre Sancte subventioni concessam, necnon et universa que legata, relicta, deputata et concessa sunt et fuerint, necnon et uue obvenerunt et obvenient [fol. 206v] quomodolibet subventioni prefate, plenam auctoritate predicta concedimus potestatem. Et ut, tam tu, quam dicti collectores, fructum de vestris laboribus reportetis, premissa tibi et eis in remissionem injungimus peccatorum et a prestatione decime, illos videlicet ex vobis qui hujusmodi decimam non solverunt pro rata temporis, quo in hujusmodi negotio laborabunt, volumus esse immunes. Tequo que, illius indulgentie concedimus esse participem, que crucesignatis personaliter transfretantibus in terre prefate subsidium est concessa. Et quod de pecunia ex ipsa decima colligenda singulis diebus in quibus circa premissa vacabis, sexdecim solidos turonenses, vel valorem ipsorum percipias pro expensis. Preterea disponentes perversorum malitiis et ausibus obviare perversis, volumus ut tu, in negotio ipso, diligentia exacta procedens, illos ex archiepiscopis, episcopis et prelatis ac aliis personis ecclesiasticis partium predictarum, cujuscunque ordinis, status seu dignitatis existant, quos tibi constiterit per inquisitionem, quam tibi super hiis, auctoritate predicta, committimus faciendam, ex probabilibus seu ex verisimilibus conjecturis pensatis, eorum proventibus minus debito notabiliter de dicta decima persolvisse, ita quod super hoc merito suspecti debeant reputari, necnon et eos ex archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, prelatis, rectoribus et aliis clericis et ecclesiasticis personis, ac depositarios per eundem archipresbiterum predecessorem tuum deputatos, ex parte nostra efficaciter moneas et inducas, ut infra competentem terminum a te prefigendum, eisdem iidem archiepiscopi et episcopi ac alie persone ecclesiastice de proventibus suis hujusmodi decimam cum integritate persolvant, et de hujusmodi impedimento tibi, predicte Terre Sancte nomine, plenam et debitam satisfactionem impendant, ac iidem depositarii, predicta deposita, sublata difficultate qualibet, infra hujusmodi terminum tibi studeant exhibere, ac nichilominus illos ex personis eisdem qui monitis tuis plene in hac parte paruerint ab excommunicationum sententiis per Lugdunense concilium, vel dictum archipresbiterum predecessorem tuum, prolatis, aut per te promulgandis propter premissas causas, si quas incurrerant vel incurrent, auctoritate nostra juxta ecclesie formam absolvas et dispenses, cum eis super irregularitate, si quam contraxerunt, predictis ligati sententiis, non tamen in contemptum clavium, divina officia celebrando, vel se immiscendo eisdem injuncto ipsis quod de jure fuerit injungendum. Quod, si tales monitis tuis infra premissum terminum parere forte contempserint, archiepiscopos et episcopos ac alias personas prefatos quos taliter suspectos invenies,

auctoritate predicta, nominatim ecclesiastica censura obedire compellas, et si ipsi per unum mensem censuram hujusmodi sustinuerint animis induratis, ipsos extunc et alios excommunicatos collectores ac depositarios memoratos, peremptorie citare procures, ut infra duorum mensium spatium post citationem tuam, per se vel per procuratores ydoneos compareant coram nobis, nostris super hoc mandatis et beneplacitis parituri ac facturi et recepturi quod justitia suadebit. Die vero citationis, et formam et quicquid super hoc feceris, nobis per tuas litteras harum seriem continentes, fideliter intimare procures. Ceterum, ut officium tibi in hac parte commissum utilius et efficatius valeas exercere, contradictores quoslibet et rebelles, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita compescendi ac invocandi, contra eos auxilium brachii secularis, quotiens videris expedire, compellendi quoque, auctoritate predicta, predictos prelatos aliasque personas ecclesiasticas illarum partium ad providendum tibi de securo conductu, cum super hoc a te fuerint requisiti, plenam tibi, auctoritate presentium, concedimus facultatem. Non obstante, si aliquibus a sede apostolica sit indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras apostolicas que de indulto hujusmodi ac tota ejus continentia de verbo ad verbum et de propriis locorum ac personarum nominibus specialem plenam et expressam non fecerint mentionem, sive quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis vel litteris quibuscunque dignitatibus, ordinibus, locis vel personis generaliter vel specialiter, sub quacunque forma vel expressione verborum, ab eadem sede concessis, de quibus quorumve totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris litteris speciali plena et expressa mentio fit habenda. Volumus autem ut frequenter nobis scribere studeas quid actum fuerit in partibus supradictis, tam circa collectores quam circa collectionem, quantitatem ipsius collecte pecunie, truncorum, legatorum, relictorum, deputatorum, concessorum et obventionum hujusmodi depositionem, locum depositionis ac modum. Et insuper de premissis fideliter ac sollicite prosequendis, prestes, tactis sacrosanctis evangeliis, juramentum. Considerans itaque quod in premissis negotium Dei prosequeris et in conspectu agis illius qui cuncta concernit sibi necnon et nobis qui circa hoc omnem diligentiam adhibere intendimus, teneberis reddere rationem ab utroque, pro meritis recepturus, sic prudenter in illis habere te studeas, sic consulte quod, utriusque judicio, non solum vites pene confusionisque discrimina, sed laudis titulos et gratiam ac retributionis premium assequaris. Forma autem juramenti quod [fol. 207] prestare volumus collectores eosdem hec est : Juro ego .. a vobis .. auctoritate apostolica deputatus collector ad exigendum, colligendum et recipiendum decimam omnium redditiuum et proventuum ecclesiasticorum, ab omnibus personis ecclesiasticis, exemptis et non exemptis, in civitate et diocesi constitutis, a sede apostolica pro subsidio Terre Sancte concessam, quod fideliter exigam, colligam et recipiam atque custodiam ipsam decimam, non deferendo in hiis alicui persone, cujuscunque ordinis et status, conditionis aut dignitatis existat, prece, timore, gratia vel favore, vel alia quacunque de causa, et eam integre restituam et assignabo, prout a vobis recepero in mandatis, et super premissis omnibus et singulis, plenam et fidelem rationem reddam vobis et si contingat vos officium quod in premissis geritis dimittere, hec eadem faciam juxta mandatum illius qui substituetur in eodem officio. Sic me Deus adjuvet et hec sancta Dei evangelia. — Dat. Perusii, idibus novembris, anno quarto.»

528 Pérouse, 1er décembre 1284.

Constantiensi et Eystetensi episcopis mandat quatinus de persona Rodulphi de Hohenekke, regis Romanorum cancellarii, electioneque de illo facta in archiepiscopatum Salzeburgensem inquisitionem faciant diligentem et si omnia congrua invenient et competenter facta, electionem istam confirment. — (Reg. 41, fol. 207 ; ann. IV, n° 36.)

Venerabilibus fratribus .. Constantiensi et .. Eystetensi episcopis ac dilecto filio .. abbati monasterii de Salem, Cisterciensis ordinis, Constantiensis diocesis. Dilecti filii Cunradus de Vansdors et Fridericus de Mitterchirichen canonici Salzeburgenses, dilectorum filiorum Octonis prepositi,.. decani et capituli Salzeburgensis ecclesie procuratores, una cum dilecto filio magistro Henrico de Gosse, procuratore dilecti filii Rodulphi de Hohenekke, in archiepiscopum Salzeburgensem electi, in nostra et fratrum nostrorum constituti presentia, inter cetera proponere curaverunt quod dudum ecclesia ipsa, per obidum bone memorie Frederici Salzeburgensis archiepiscopi, pastoris solatio destituta, dicti prepositus, decanus et capitulum certa die ad eligendum prefixa, vocatis omnibus qui debuerunt, voluerunt et potuerunt comode interesse, in capitulo ipsius ecclesie convenerunt. Et demum, invocata Spiritus Sancti gratia, et diligenti tractatu ac deliberatione prehabitis, per viam procedere scrutinii eligentes, assumpserunt scrutatores tres de ipso capitulo fidedignos, qui sua et singulorum vota scrutantes, ea juxta formam potestatis sibi ab eisdem pre-

posito, decano et capitulo tradite, in hac parte mox in capitulo publicarunt. Et comperto quod omnes in dictum Rodulphum, in sacris ut dicitur, ordinibus constitutum, cancellarium carissimi in Christo filii nostri Rodulphi, Romanorum regis illustris, unanimi voto consenserant, memoratus prepositus, qui erat unus de scrutatoribus supradictis, vice sua et aliorum collegarum suorum et de speciali mandato, consensu et voluntate singulorum de capitulo supradicto, prefatum cancellarium in eorum et ejusdem ecclesie Salzeburgensis elegit archiepiscopum et pastorem, eodem Radulpho electioni hujusmodi de se facte, ad prepositi, decani et capituli predictorum instantiam, infra tempus a jure statutum, suum exhibente consensum. Prefati quoque procuratores, adicientes quod idem cancellarius, propter hostiles civitatum et castrorum quorumdam insidias, tam atrociter contra predictam ecclesiam intemptatas, quod ipse ad eam post susceptam curam ipsius, a qua electionis predicte tempore non modico terrarum distabat spatio, absque certissimi et vix impetrati, ut eorum verbis utamur, conductus presidio accedere non audebat, propter castra etiam in latere seu locis vicinis Salzeburgensis civitatis vias precludentia publicas, per ipsius inimicos ecclesie de novo post jamdictam electionem erecta, necnon et propter magnam partem honorum ejusdem ecclesie per Cumanos Ungarosque destructam, et ob majoris partis destruende timorem, ad apostolicam sedem absque gravi ecclesie prelibate periculo se personaliter conferre non potuit, confirmationem electionis sue humiliter petiturus, presentato nobis decreto super eadem electione confecto, cum instantia petierunt ut nos, ipsius ecclesie necessitate pensata, electionem predictam ipsius electi, absentia non obstante, admittere seu confirmare de benignitate sedis apostolice dignaremur, dicto ipsius electi procuratore specialiter proponente ac offerente se premissas excusationes competenti tempore probaturum, vel quod sufficiat de predictis. Nos autem, plenius intellectis que dicti procuratores in hac parte proponere voluerunt, electionem ipsam per venerabilem fratrem .., Tusculanum episcopum, et dilectos filios nostros Comitem, tituli sancti Marcellini et Petri presbiterum, ac Jordanum, sancti Eustachii diaconum cardinales examinari fecimus diligenter, et eam quo ad formam invenimus canonice celebratam. Licet itaque secundum laudabilem ecclesie Romane consuetudinem, cui etiam jura concordant, post examinationem processus, subsequi debeat examinatio electe persone et ad hoc ipsius necessario presentia requiratur. Nos tamen, ejusdem Salzeburgensis ecclesie indempnitati consulere et tam ejus quam ipsius electi obviare periculis, necnon et cum eo prefati regis obtentu pro ipso humiliter supplicantis, gratiose agere intendentes, discretioni vestre, de qua plenam in [fol. 207^{v}] domino fidutiam gerimus, per apostolica scripta mandamus quatenus, Deum habentes pre oculis, de hujusmodi excusationis causis pro eodem electo propositis, ac ipsius electi meritis, diligentius inquiratis et si per inquisitionem hujusmodi, causas ipsas inveneritis esse veras, vel aliquam ex eis que sufficere videatur, et personam electam tanto congruentem oneri et honori electionem ipsam, auctoritate nostra confirmare curetis, facientes eidem electo a suis vassallis et aliis subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, sibique munus consecrationis impendi. Alioquin, vel ipsum electum si probationis predictarum causarum defectus exegerit, denuntiantes omni jure quod ei forsitan acquisitum fuerat, ex predicta electione privatum, vel si persone qualitas ejusdem electi suaserit, dictam electionem rite cassantes, seu cassam et irritam nuntiantes, mandetis preposito, decano et capitulo memoratis, ut sibi et eidem Salzeburgensi ecclesie per electionem canonicam vel postulationem concordem, de pastore studeant ydoneo providere. Contradictores etc. usque compescendos. Non obstante si aliquibus quod interdici suspendi vel excommunicari non possint a sede apostolica sit indultum et qualibet alia indulgentia dicte sedis, cujuscunque forme, tenoris vel expressionis existat, per quam effectus presentium impediri quomodolibet valeat, vel differri, et de qua plenam et expressam oporteat in nostris litteris fieri mentionem. Quod si non omnes etc. duo vestrum etc. — Dat. Perusii, kal. decembris, anno quarto. »

529 Pérouse, 4 décembre 1284.

Remensi et Senonensi archiepiscopis, eorumque suffraganeis, super articulis ab illis missis de quibusdam exemptorum excessibus, respondet se convenienter gravamina corrigere, petitionibus autem articulorum acquiescere incongrue videns. — (Reg. 41, fol. 207 v°; ann. IV, n° 37).

« *Venerabilibus fratribus .. Remensi et .. Senonensi archiepiscopis et eorum suffraganeis.* Dum summe devotionis affectum et exuberantem obedientie promptitudinem quas erga Romanam ecclesiam, matrem vestram, tanquam filii benedictionis et gratie sic constanter, sic ferventer habere noscimini, ut prelatis cedatis ceteris in exemplum, sedula meditatione pensamus, dum recogitamus attentius quod vos semper invenimus

ad beneplacita nostra paratos, personas et ecclesias vestras precipuis favoribus confovemus et affectione prosequimur speciali, gaudentes in domino, et ingenti letetia exultantes, cum status vester pacis robore stabilitus agnoscitur et tranquillitatis soliditate suffultus. Nec possumus aculeos non sentire doloris, cum illum procella turbationis exagitat, ac in ejus prejudicium cujusvis insolentis temeritas cernitur prosilire. Dudum sequidem, ad nostram presentiam accedentes, venerabiles fratres nostros Bituricensem archiepiscopum, tunc archidiaconum Carnotensem et dilectos filios magistros Symonem Matifardi, archidiaconum in ecclesia Remensi, tunc ejusdem ecclesie canonicum et Heliam de Plesseyo, canonicum ecclesie sancti Michaelis Belvacensis, nuntios vestros, libenter vidimus et affectuose recepimus, mittentes considerantes in missis, et que coram nobis et fratribus nostris ex parte vestra proponere voluerunt, benigne audivimus et intelleximus diligenter. Porro, predicti nuntii, quamplures nobis super diversis petitionibus vestris confectos articulos exhibentes, humiliter petierunt ut super hiis que continebantur in eis, clementer votis vestris annuere dignaremur. Nos autem, predictis receptis articulis et eis examinatis attentius solliciteque discussis, ac tandem coram nobis et fratribus supradictis singulariter et studiose perlectis, liquido collegimus ex eisdem quod nonnulla exemptos regni Francie tangentia declarari, revocari aliqua, quedam innovari et de novo statui aliqua vero decerni, quamplura etiam vobis gratiose per apostolicam sedem concedi suppliciter petebatis. Verum et si vos universos et singulos sinceris affectibus diligamus et gravamina que vobis, vestrisque subditis ab eisdem exemptis, sicut asseritis, inferuntur, displiceant valde nobis, nec ea intendamus sicuti, nec debemus aliquatenus sustinere. Quia tamen predicte sedis providentia, circumspecta in arduis magnisque negotiis, cum multa maturitate procedere consuevit, nos, diligenti cum fratribus ipsis deliberatione prehabita super hiis et maturitate hujusmodi, prout convenit, observata, predictos exemptos per nostras sub certa forma litteras ad presens monendos duximus et hortandos eis, nichilominus injungentes ut ipsi, propriis contenti, limitibus actusque suos freno modestie cohibentes, sic prudenter et provide apostolicis privilegiis sibi concessis, uti studeant ut in alicujus vestrum vel subditorum vestrorum gravamina offensas vel injurias non prorumpant, nonnullis a nobis comminationibus interjectis, quod si secus ab eis attemptari contigerit, congruum super hiis remedium curabimus adhibere, cum talia vobis ab eisdem inferri pati nullatenus intendamus. Vos itaque, tanquam viri providi hujusmodi provisionem nostram in hac parte diligentius attendentes, non moleste feratis si ut petistis in presentiarum procedendum non duximus in premissis, presertim, cum nostre omnino intentionis existat ut et [fol. 208] predictorum gravaminum correptio condigna proveniat, ac eis ne procedant ulterius, efficaciter obvietur. Super hiis autem que gratiam expetunt, poteritis non singulariter pro vobis expedire videritis requirere confidenter, nam quantum cum Deo fieri poterit et viderimus faciendum, nos vobis exhibere curabimus, et in favore munificos, et in gratia liberales. Ceterum, ad missa responsioni nostre dilatio sensibus vestris miranda non veniat, nam cum sicut divulgantis fame relatibus ad vestram credimus pervenisse notitiam, astuta caliditas hominis inimici querentis jugiter ut offendat diversas mundi provintias, multiplicis dissensionis et scandali malignis immissionibus perturbarit, sic nos preardua, dispendiosa graviaque occupavere negotia, quod circa expeditionem eorum, ad vitanda pericula grandia que illorum retardatio minabatur, cunctis et sedulis studiis insistentes et interdum aliqua infirmitate nostri corporis impediti, vobis super premissis nequivimus, occupatione ac impedimento hujusmodi obsistentibus celerius respondere. — Dat. Perusii II nonas decembris, anno quarto. »

530 Pérouse, 4 décembre 1284.

Universos exemptos per provincias Remensem et Senonensem constitutos de quibusdam excessibus eorum ad ordinariorum gravamen perfactis, in futurum avertere moneat. — (Reg. 41, fol. 208 ; ann. IV, n° 38).

« *Dilectis filiis universis exemptis per Remensem et Senonensem provintias constitutis.* Gravem ad apostolicam sedem venerabiles fratres nostri.. Remensis et.. Senonensis archiepiscopi ac eorum suffraganei querimoniam destinarunt, inter cetera continentem quod vos, finibus propriis non contenti et privilegiorum vestrorum terminos excedentes, procurationes aliaque jura in quibus illis, tam de consuetudine quam de jure tenemini, pro vestro recusatis libito exhibere, quodque per conservatores privilegiorum ipsorum, in eos suosque subditos excommunicationis et interdicti sententias de facto juris ordine pretermisso, persepe fulminari facitis, alias ipsos multipliciter molestando, in grandem ipsorum injuriam et gravamen. Preterea nominatim excommunicatos et interdictos ab eis culpis exigentibus eorundem necnon et usurarios manifestos, non

solum ad sepulturam verum etiam ad sacramenta ecclesiastica, non absque illorum contemptu, recipitis, propter quod in partibus illis ecclesiastica vilescit auctoritas, et non modicum archiepiscopis et suffraganeis supradictis prejudicium generatur. Novalium quoque decimas que de jure ad parrochiales ecclesias pertinere noscuntur, eo pretextu quod in quibusdam locis veteres percipitis decimas, in ecclesiarum gravedis pendium earundem. Loca insuper et possessiones a vobis acquisita de novo exemptionis vestre fulcire munimine, ac per conservatores defendi predictos, contra privilegiorum ipsorum tenorem, temere procuratis. Illi autem ex vobis qui non nisi in capite sunt exempti, prioratus eorum quoslibet ad exemptionis sue metas attrahere moliuntur, etiam si jamdicti prioratus de novo fuerint acquisiti ac alias eis graves nichilominus vos redditis et molestos. Quare archiepiscopi et suffraganei memorati nobis humiliter supplicarunt ut congruum super hiis adhibere remedium de benignitate apostolica dignaremur. Licet igitur vos, utpote Romane ecclesie filios speciales, favorabili prosequamur affectu et ad conservationem vestrorum jurium sollicite intendamus, quia tamen fratrum et coepiscoporum nostrorum gravamina et injurie displicent valde nobis, nec illa possumus equanimiter sustinere, universitatem vestram monemus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes quatinus privilegiorum vestrorum terminos diligenter ut convenit observantes, ab hujusmodi gravaminibus et injuriis archiepiscoporum et suffraganeorum predictorum, penitus desistatis, scituri quod si relatis veritas faveat et consonent dicta factis, nos prout facti qualitas suggeret ac expedire viderimus, cum deesse justitie nequeamus, oportunum super hiis remedium curabimus adhibere. — Dat. ut supra. »

531 Pérouse, 27 novembre 1284.

Theodericum, capellanum suum, collectorem decimae Terrae Sanctae in Treverensi et Maguntina provintiis, Raynerio de Orio quondam collectori in Coloniensi, Bremensi et Magdeburgensi provintiis, necnon in diocesi Caminensi, in eodem officio subrogat. — (Reg. 41, fol. 208 ; ann. IV, n° 39).

« *Dilecto filio Theoderico, priori ecclesie sancti Andree Urbevetane, capellano nostro, collectori decime Terre Sancte susidio in Coloniensi, Bremensi et Magdeburgensi provintiis ac in diocesi Caminensi concesse.* De statu decime. — Dat. Perusii, V kal. decembris, anno quarto. »

532 Pérouse, 28 novembre 1284.

Eidem mandat quatinus pecuniam jam collectam in partibus commissis necnon collecturam Medico Aliotti, Symoni Gerardi, Bonino Raynerii et Restoro Bonaventure, mercatoribus Florentinis de societate Thomasii Spiliati et Lapi Hugonis Spine integraliter assignet. — (Reg. 41, fol. 208 v° ; ann. IV, n° 40).

« *Eidem.* Cum te ad Coloniensem. — Dat. Perusii, IV kal. decembris, anno quarto. »

533 Pérouse, 2 décembre 1284.

Eidem, cum ei familiam habere ob viarum discrimina oportet et propter victualium caritatem, ultra salarium ordinarium quinque solidorum sterlingorum pro diebus singulis, decem et octo libras predictae monetae annuatim percipere concedat. — (Reg. 41, fol. 209 ; ann. IV, n° 41).

« *Dilecto filio Theoderico, priori ecclesie sancti Andree Urbevetane, capellano nostro, collectori decime Terre Sancte subsidio in Maguntina, Treverensi, Coloniensi, Bremensi et Magdeburgensi provintiis ac diocesi Caminensi concesse.* Olim nobis. — Dat. Perusii, IV nonas decembris, anno quarto. »

534 Pérouse, 29 novembre 1284.

Eidem, cum Henrico de Basconia collectori residui vicesimae in diocesi Leodiensi olim Ludovico, regi Franciae, subsidio Terrae Sanctae, concessae, ei dictum residuum assignare jam preceptum sit, receptam pecuniam apud mercatores in littera 532 nominatos deponat. — (Reg. 41, fol. 209 ; ann. IV, n° 42)

« *Eidem.* Cum dilecto. — Dat. Perusii, III kal. decembris, anno quarto. »

535 Pérouse, 29 novembre 1284.

Eidem mandat quatinus Henricum de Basconia, canonicum sancti Pauli Leodiensis, pecuniam per illum detentam assignare moneat, etiam si necesse fuerit, illum censura apostolica minans. — (Reg. 41, fol. 209 ; ann. IV, n° 43).

« *Eidem.* Dilecto filio Henrico. — Dat. ut supra. »

536 Pérouse, 29 novembre 1284.

Henrico de Basconia, canonico Leodiensi, mandat quatinus pecuniam quam habet de vicesima Ludovici regis Theoderico, capellano suo, assignet. — (Reg. 41, fol. 209 v° ; ann. IV, n° 44).

« *Henrico de Basconia, canonico ecclesie sancti Pauli Leodiensis*, Volumus et. — Dat. ut supra. »

537 Pérouse, 9 décembre 1284.

Raynerio de Orto, nuper decimae collectori in Coloniensi, Bremensi et Magdeburgensi provintiis et diocesi Caminensi, diligentem reddere rationem Theodorico, capellano suo, praecipit. — (Reg. 41, fol. 209 v°; ann. IV, n° 45).

« *Raynerio de Orto, preposito de Clavasio.* De statu decime. — Dat. Perusii, V idus decembris, anno quarto. »

538 Pérouse, 3 décembre 1284.

Rodulphum, regem Romanorum, habere commendat Theodericum, capellanum suum, rogat. — (Reg. 41, fol. 210; ann. IV, n° 46.)

« *Carissimo in Christo filio Rodulpho, regi Romanorum illustri.* Quanto majori. — Dat. Perusii, III nonas decembris, anno quarto. »

539 Pérouse, 23 décembre 1284.

Valeat matrimonium inter Fridericum, filium Theoderici, marchionis de Landesberch et Caterinam, filiam Henrici, ducis Bavariae, quarti consanguinitatis gradus impedimento non obstante. — (Reg. 41, fol. 210; ann. IV, n° 47; — POTTHAST, n° 22.190).

« *Venerabili fratri... episcopo Ratisponensi.* Exhibita nobis dilecti. — Dat. Perusii, X kal. januarii, anno quarto. »

540 Pérouse, 10 décembre 1284.

Theobaldum in abbatem monasterii Luxoviensis, discordantibus electionibus negotio apostolicae sedi legitime devoluto, praeficit. — (Reg. 41, fol. 210; ann. IV, n° 48).

« *Dilecto filio Theobaldo abbati monasterii Luxoviensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Bisuntine diocesis.* Dudum monasterio Luxoviensi, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinente, ordinis sancti Benedicti, Bisuntine diocesis, per mortem quondam Kalonis, abbatis ipsius monasterii, pastoris regimine destituto et ejus corpore tradito ecclesiastice sepulture, dilecti filii .. prior et conventus ejusdem monasterii, vocatis et presentibus omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt como de interesse, certa die ad eligendum prefixa, pro futuri substitutione pastoris, prout moris esse dinoscitur insimul convenerunt. Et tandem ipsorum votis in diversa divisis, quamplures ex eis quondam fratrem Andream de Ansella, tunc monasterii memorati prepositum, ad ipsius monasterii regimen elegerunt, reliquis in te, tunc priorem de Portu, Cluniacensis ordinis, prefate diocesis, dirigentibus vota sua. Sicque, duabus electionibus in eodem monasterio in discordia celebratis et ipsarum negotio ad sedem apostolicam legitime devoluto, nos dilectum filium nostram Jordanum, sancti Eustachii diaconum cardinalem, partibus in causa hujusmodi concessimus auditorem. Cumque fuisset in causa ipsa coram eodem cardinali usque ad litis contestationem processum et prestito tam a te quam ab eodem Andrea juramento de veritate dicenda, [fol. 210v] ac positionibus hinc inde exhibitis prefatus Andreas apud sedem apostolicam constitutus, debitum nature persolvit. Tuque, postmodum tecum deliberatione prehabita, volens pacifico statui ut utilitati monasterii memorati consulere, ac nolens occasione electionis de te inibi celebrate, monasterium ipsum longioris vacationis incomoda sustinere, jus si quod tibi ex hujusmodi electione competebat, seu competere poterat, in nostris manibus sponte ac libere resignasti, cujus resignationem duximus admittendam. Nos itaque, prefati monasterii obviare dispendiis, paterne sollicitudinis studio intendentes, et considerantes attentius laudabile testimonium, quod tibi a pluribus fidedignis personis de conversatione et vite meritis ac virtutibus aliis, quibus te decoravit altissimus, perhibetur, attendentes etiam quod memorati prior et conventus et specialiter hii, qui in prefatum Andream, nobis per suas patentes litteras eorumdem prioris et conventus sigillis munitas, humiliter supplicarunt, quod de te, per cujus industriam credebant monasterium ipsum posse in spiritualibus et temporalibus prospere gubernari, providere, ipsi monasterio dignaremur, te, de fratrum nostrorum consilio predicto monasterio Luxoviensi prefecimus in abbatem, plenam et liberam administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus commitentes ac facientes tibi subsequenter, per venerabilem fratrem nostrum Ordonium, episcopum Tusculanum, munus benedictionis impendi, firma concepta fidutia quod, dirigente domino, actus tuos prefatum Luxoviense monasterium, per tue multiplicis circumspectionis industriam, prospere dirigetur et ei salubria, dante domino, pervenient incrementa. Suscipiens itaque reverenter impositum a domino tibi onus, sollicitam ipsius monasterii curam geras, gregem dominicum in

illo tue discretioni commissum doctrina verbi et operis informando. Ita quod predictum monasterium per tue vigilantie studium votivis proficiat comodit et augmentis, letetur felicibus status ejus. — Dat. Perusii, IV idus decembris, anno quarto.»

In e. m. priori et conventui monasterii Luxoviensis ad Romanam ecclesiam etc. Dudum monasterio vestro etc. ut in proxima superiori, verbis competenter mutatis, usque incrementa. Quocirca, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus eidem abbati tanquam patri et pastori animarum vestrarum plene ac humiliter intendentes obedientiam et reverentiam debitam sibi exhibere curetis. Alioquin sententiam quam ipse propter hoc rite etc. Dat. ut supra.

In e. m. universis vassallis et hominibus monasterii Luxoviensis etc. usque incrementa. Quocirca, universitati vestre per apostolica scripta mandamus quatinus dictum abbatem devote recipientes et honeste tractantes, ejus salubribus mandatis et monitis humiliter intendatis, et prestantes eidem fidelitatis solite juramentum, consueta ei exhibere servitia et de juribus ac redditibus sibi debitis eidem respondere curetis. Ita quod ipse in vobis devotionis filios repperisse se gaudeat, vosque in eo patrem habeatis assidue gratiosum. Alioquin sententiam sive penam quam ipse spiritualiter et temporaliter propter hoc rite statuerit etc. Dat. ut supra.

541 Pérouse, 18 décembre 1284.

Willelmo, episcopo Dumblanensi, olim abbati monasterii de Aberbrothoe, sancti Andreae diocesis, electionem de ipso canonice factam confirmat. — (Reg. 41, fol. 210 v°; ann. IV, n° 49).

«*Venerabili fratri Willelmo episcopo Dumblanensi.* Ex suscepte servitutis officio. — Dat. Perusii, XV kal. januarii, anno quarto.»

In e. m. Dilectis filiis capitulo ecclesie Dumblanensis. — Dat. ut supra.

In e. m. Clero civitatis et diocesis Dumblanensis. — Dat. ut supra.

In e. m. Dilecto filio nobili viro Molisio, comiti de Strathern, ecclesie Dumblanensis patrono. — Dat. ut supra.

542 Pérouse, 20 décembre 1284.

Gerardo, episcopo Sabinensi, apostolicae sedis legato, mandat quatinus palleum assignet Rogerio, episcopo Troianensi . — (Reg. 41, fol. 211; ann. IV, n° 50; — POTTHAST, n° 22.187.)

« *Venerabili fratri G., Sabinensi episcopo, apostolice sedis legato.* Sicut ex fraternitatis tue litteris. — Dat. Perusii, XIII kal. januarii, anno quarto. »

543 Pérouse, 23 décembre 1284.

Birgerum, filium Magni, regis Suetiae, et Margaretam, filiam Erici, regis Datiae de quarto gradus consanguinitatis impedimento dispensat. — (Reg. 41, fol. 211; ann. IV, n° 51; *Reg. diplom. hist. Danicae*, I, pars I, p. 165, n° 1344).

« *Dilecto filio nobili viro, Birgero, nato carissimi in Christo Magni, regis Suetie illustris et dilecte in Christo filie nobili mulieri Margarete, nate carissimi in Christo filii nostri Erici, illustris regis Datiae.* Cum Summus Pontifex. — Dat Perusii, X kal. januarii, anno quarto. »

544 Pérouse, 23 décembre 1284.

Archiepiscopo Januensi, dispenset, si ab istis dicta vera inveniuntur, Ansaldinum de Nigro, filium Leonis de Nigro et Angnesinam, filiam Musi Cibo, de quarto gradus consanguinitatis impedimento. — (Reg. 41, fol. 211 v°; ann IV, n° 52).

« *Venerabili fratri archiepiscopo Januensi.* Lecta coram nobis dilecti filii nobilis viri Ansaldini de Nigro, nati dilecti filii nobilis viri Leonis de Nigro, et dilecte in Christo filie Angnesine, nate dilecti filii nobilis viri Musi Cibo, civium Januensium, petitio continebat quod licet olim, occasione cujusdam homicidii, graves et periculose inimicitie inter parentes, consanguineos et amicos ipsorum fuerint suscitate, tamen, operante pacifici regis clementia, pacis et concordie reformata sunt federa inter illos. Unde Ansaldinus et Angnesina predicti, ad solidanda et roboranda hujusmodi federa, ne contingat illa quod absit tempore succedente dissolvi desiderant matrimonialiter invicem copulari. Sed quia quondam Andriolus de Guisulfis, cum quo pridem sponsalia pro inimicitiis sedandis hujusmodi, Angnesina supradicta contraxit, licet carnalis copula non fuerit subsecuta, eidem Ansaldino in quarto gradu consanguinitatis dum viveret attinebat, non potest, impedimento hujusmodi obsistente, ipsorum in hac desiderium adimpleri. Quare prefati Ansaldinus et Angnesina nobis humiliter supplicarunt, ut super hoc, de oportune dispensationis gratia curaremus misericorditer providere. Nos autem, qui cunctorum fidelium salutem diligimus et libenter concordiam et pacem ipsorum, submotis impedimentis quibuslibet, procuramur, predictorum Ansaldini et Angnesine supplicationibus inclinati, quia tu de facto et facti circumstantiis habere poteris notitiam pleniorem, fraternitati tue presentium auctoritate committimus ut si premissis veritas suffragatur, cum Ansaldino et Angnesina prefatis, quod impedimento non obstante, predicto

matrimonium inter se libere contrahere valeant et tandem in contracto licite remanere, auctoritate nostra, dispenses prout secundum Deum videris expedire. — Dat. Perusii, X kal. Januarii, anno quarto. »

545 Pérouse, 18 décembre 1284.

Episcopo Cabilonensi mandat quatinus de excessibus quos, ut dicitur, monasterium sancti Sequani de facto episcopi Valentinensis, dicti monasterii abbatis, patitur, inquisitionem diligentem faciat et sedem apostolicam moneat. — (Reg. 41, fol. 211 v°; ann. IV, n° 53).

« *Venerabili fratri episcopo Cabilonensi.* Dilecti filii Symon Camerarius et Guillelmus de Bussiaco, monachi monasterii de sancto Sequano, ordinis sancti Benedicti, Lingonensis diocesis, apud sedem apostolicam constituti, nobis pro se ac aliis monachis dicti monasterii, eis in hac parte adherentibus, exponere curaverunt, quod licet nos venerabili fratri nostro Johanni Valentinensi et Dyensi episcopo administrationem ejusdem monasterii, cujus ante promotionem suam ad Valentinensem et Dyensem episcopatum abbas erat, in spiritualibus et temporalibus, auctoritate apostolica, usque ad certum tempus nondum elapsum, duximus committendam, ipse tamen, de monasterii predicti utilitate non curans, immo nec tanquam bonus pastor curam gerit de subditis et bonis monasterii supradicti, sed sicut invasor ea dilapidat enormiter et consumit nonnulla quoque animalia monasterii prefati, ex quibus utilitas magna monasterio proveniebat, eidem preter assensum conventus dicti monasterii, vendidit pro sue libito voluntatis, ipsorum pretium in usus proprios convertendo. Alia vero animalia dicti monasterii ad dictum episcopatum adduci faciens, monasterium ipsum pecunia, libris et rebus aliis indebite spoliavit. Homines insuper de corpore, ac alios habitantes in terris monasterii prelibati, adeo indebitis et insolitis exactionibus aggravit, quod quingenti et plures ex eis, cum suis familiis, de terris ipsis propter hoc recedere sunt coacti. Preterea, hospitale pauperum situm in villa Sancti Sequani, ad monasterium ipsum pertinens, ubi pauperes et infirmi recipere consueverant humanitatis solatia, totaliter destruens, domos ejus cuidam sacerdoti concessit et sibi culcitras in quibus pauperes jacere consueverant reservavit. Prioratus etiam ad monasterium ipsum spectantes et consuetos per monachos dicti monasterii, gubernari, laicis et secularibus clericis aliquibus eorum ad vitam, quibusdam vero ad non modicum tempus, concessit pro certa pecunie quantitate, monasterium ipsum nichilominus gravibus debitis obligando. Ad hec, ecclesia predicti monasterii propter negligentiam ipsius episcopi, pro dimidia fere parte corruit, reliqua parte minante ruinam. Et quanquam monachorum receptio ad abbatem et conventum dicti monasterii communiter de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine pertinere noscatur, idem tamen episcopus quamplures monachos in monasterio ipso, motu proprio, de novo creavit, ejusdem conventus consensu, vel etiam consilio, minime requisitis. Dicti quoque Symon et Guillelmus asserentes se propter premissa et alia diversa gravamina sibi et eidem monasterio per episcopum prefatum illata, ad sedem apostolicam pro se ac prefatis adherentibus appellasse, nobis humiliter supplicarunt ut, ne monasterium ipsum per eundem episcopum irreparabile detrimentum incurrat, adhibere in hoc congruum remedium curaremus. Quocirca, fraternitati tue, per apostolica scripta, mandamus quatenus vocatis qui fuerint evocandi et inquisita super premissis diligentius veritate, negotium hujusmodi plene instructum remittas ad dicte sedis examen, prefigens hiis, quorum intererit terminum peremptorium competentem quo per se, vel per procuratores ydoneos, nostro se conspectui representent, facturi et recepturi super premissis quod facti qualitas suadebit et nobis videbitur expedire, contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo. Non obstante si aliquibus quod interdici, suspendi vel excommunicari non possit ab eadem sede indultum existat et qualibet alia indulgentia dicte sedis cujuscunque forme aut expressionis fuerit vel tenoris per quam effectus presentium impediri quomodolibet valeat vel differri, et de qua plenam et expressam oporteat in nostris litteris fieri mentionem. Quiquid (*sic*) [fol. 212] autem super hiis duxeris faciendum, nobis per tuas litteras harum seriem continentes studeas fideliter intimare. — Dat. Perusii, XV kal. januarii, anno quarto. »

546 Pérouse, 9 janvier 1285.

Bentevengae, episcopo Portuensi, apostolicae sedis legato, mandat quatinus contra excessus in civitate Pistoriensis quorumdam pravorum hominum, quorum pars ecclesiastico privilegio se tuetur, remedium conveniens gerat. — (Reg. 41, fol. 212; ann. IV, n° 54).

« *Venerabili fratri Bentevenge, episcopo Portuensi, apostolice sedis legato.* Significarunt nobis dilecti filii .. potestas,.. capitaneus et consilium ac alii fideles ecclesie Romane in civitate Pistoriensi, quod nonnunquam in civitate ac diocesi et districtu Pistoriensi contingit

ut eisdem potestati, capitaneo et communi Pistoriensi rebelles, qui pro rebellione hujusmodi civitatem ipsam, vel ejus districtum intrare non audent, aut alii de civitate ac districtu predictis ex diversis delictis et variis exbanniti, ut vitando seculare judicium civitatem ipsam vel ejus districtum intrare libere ac ibi procurare impune, scandala valeant eorum quidam clericalem, quidam vero militum Virginis gloriose, ordines aliqui autem eorum qui penitentes dicuntur et aliorum quibus secundum suorum ordinum instituta licet retinere proprium, ac in suis domiciliis remanere habitum, aliqui vero signum crucis pro Terre Sancte subsidio fictitie ac malitiose recipiunt et nonnulli se procurant in secularibus ecclesiis recipi pro conversis, ac per hoc clericali vel ecclesiastico privilegio se tuentes, pro delictis hujusmodi satisfactione aliqua non impensa, eosdem civitatem districtum et diocesim reintrare presumunt. Sicque potestate, capitaneo, consilio et fidelibus predictis, propter tuitionem hujusmodi nequeuntibus animadvertere in eosdem, verisimiliter dubitatur ne dicti malefactores subversionem fidelium et populi predictorum ac totius civitatis ejusdem, excogitata caliditate, procurent. Super quibus dicti potestas, capitaneus, consilium et fideles ad nostram providentiam recurrerunt. Nos autem, sperantes quod per te in hac parte salubre, dante domino, consilium apponatur, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatenus super hiis providentie tue studium prudenter exercens, et ad quietem et prosperum statum civitatis et fidelium eorumdem quorum quietem ac statum pacificum et prosperum cordi gerimus, diligenter intendens, considerans etiam ecclesiasticam libertatem, sic in premissis provida maturitate procedas, quod dicti fideles debita securitate ac prosperitate quiescant, et dicta libertas in honesto suo statu servetur, nec exinde possint turbationes alie provenire. — Dat. Perusii, V idus Januarii, anno quarto. »

547 Pérouse, 3 janvier 1285.

Roberto, duci Burgundiae, de moneta facienda in ducatu suo. — (Reg. 41, fol. 212; ann. IV, n° 56; — Potthast, n° 22.195).

« *Dilecto filio nobili viro R., duci Burgundie.* Petitio tua nobis exhibita continebat quod dudum venerabilibus fratribus nostris.., Claromontensi et.. Autisiodorensi episcopis, litteras sub certa forma direximus inter alia continentes quod inter prelatos cathedralium et aliarum ecclesiarum ac monasteriorum, aliorumque locorum ecclesiasticorum, necnon et capitula, conventus et alias personas ecclesiasticas et etiam seculares ducatus tui, ex parte una et te ex altera, pro communi utilitate habitus dicebatur esse tractatus, ut tu, conquiescens a monetarum mutatione frequenti, que prelatis, capitulis, conventibus et personis ac ecclesiis, monasteriis et locis predictis ac universaliter omnibus ipsius ducatus incolis, sicut asseritur, est dampnosa; extunc, per te ac successores tuos monetam immutabilem forma, lege ac pondere cudi et fabricari faceres, sub certo valore habendam, tenendam et perpetuo inmutabiliter observandam, hoc eidem adjecto tractatui, quod de inmutabilitate hujusmodi per nos et carissimum in Christo filium nostrum Philippum, regem Francorum illustrem, solide cautionis remedium preberetur, et quod, propter hoc, omnes viri ecclesiastici in ducatu existentes, eodem de omnibus proventibus, redditibus et obventionibus ecclesiasticis tibi decimam per biennium continuum exhiberent colligendam et solvendam, per episcopos in suis civitatibus et diocesibus, vel per viros ydoneos ab ipsis episcopis deputandos, ad valorem et taxationem quibus taxati fuerunt in decima concessa subsidio Terre Sancte, nostro in hiis beneplacito reservato, quodque clerici et laici, nobiles et innobiles conditionis libere, de aliis suis proventibus et redditibus darent tibi similiter per biennium continuum decimam, populares vero laici talliabiles, quilibet locum et focum tenens per biennium continuum quinque solidos solvere tenerentur. Super quibus, cum nonnulli ex prelatis capitulis, conventibus et personis eisdem nobis suas patentes litteras destinassent, nos predictis Claromontensi et Autisiodorensi episcopis per nostras sub certa forma litteras duximus committendum, ut, vocatis omnibus prelatis, capitulis, conventibus et personis eisdem ac aliis personis ecclesiasticis ducatus predicti, quos hujusmodi negotium contingebat, et super hiis eorum requisito consensu, si id de ipsorum vel trium partium eorumdem et prefati regis communi voluntate et consensu procederent, et alias secundum Deum viderent expediens, super quibus omnibus oneravimus episcoporum conscientias, eorumdem receptis a te cautionibus idoneis decentibus et honestis, tractatui memorato et quod dicta decima de prefatis proventibus, redditibus et obventionibus ecclesiasticis taxandis juxta valorem et taxationem habitos olim circa collectionem decime concesse subsidio Terre Sancte, colligeretur et solveretur tibi per continuum biennium, per episcopos in suis civitatibus et diocesibus, vel per viros ydoneos ab ipsis episcopis deputandos, predicti Claromontensis et Autisiodorensis episcopi suum, auctoritate nostra, preberent assensum. Et si

dictas tres partes et regem eundem [fol. 212v] velle ac consentire contingeret sicut predicitur, reliquam quartam partem singulariter vel communiter, ad id monitione premissa, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita dicti episcopi coartarent. Non obstante si aliquibus ab apostolica sede indultum existeret quod excommunicari vel interdici aut suspendi non possent, per litteras dicte sedis non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem ac nobis intimarent fideliter per suas litteras predictarum litterarum nostrarum seriem, continentes quicquid per ipsos fieri contingeret in premissis. Et licet per eosdem Claromontensem et Autisiodorensem episcopos, in predicto negotio fuisse processum in aliquo diceretur, nos tantum prefatum Claromontensem episcopum a prosecutione ipsius negotii ex certis causis amovimus, bone memorie Nivernensem episcopum tunc viventem in dicto negotio eidem Claromontensi episcopo per alias nostras subrogantes. Cum autem memoratus Nivernensis episcopus viam fuisset universe carnis ingressus, nec per eosdem Autisiodorensem et Nivernensem episcopos prout asserebatur fuisset in negotio ipso processum, venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Senonensem, predicto Nivernensi episcopo, in eodem negotio, per alias nostras litteras duximus subrogandum, mandantes eisdem archiepiscopo et episcopo Autisiodorensi ut legitimis in dicto negotio per ipsos Claromontensem et Autisiodorensem episcopos habitis servatis processibus, ipsi archiepiscopus et Autisiodorensis episcopus in negotio predicto procederent, juxta earumdem litterarum nostrarum continentiam, prefatis Claromontensi et Autisiodorensi episcopis directarum. Ita tamen quod negotio decime memorato regi Francorum pro prosecutione negotii regni Aragonie ab eadem sede concesse nullum per hoc prejudicium pararetur. Idem vero archiepiscopus et Autisiodorensis episcopus in hujusmodi negotio procedentes et tandem attendentes, quod omnes persone ecclesiastice infra fines existentes dicti ducatus, quarum consensus requirebatur, consenserant, licet diversis temporibus negotio memorato nec contradictor aliquis apparebat, injunxerunt tibi ut cautiones ydoneas legitimas et decentes ac sufficientes prestares eisdem, et te, ac successores tuos, quo ad premissa omnia et singula obligares, tuque benigne respondens quod omnia contenta in nostris litteris apostolicis adimpleres, satisdacciones quas ipsi a te, necnon a dilecta in Christo filia Agnete, nata clare memorie Lodowici regis Francorum, consorte tua, iidem archiepiscopus et Autisiodorensis episcopus requirebant, una cum dicta consorte tua, dictis archiepiscopo et Autisiodorensi episcopo prestitisti, prout in litteris inde confectis, tuo et consortis ejusdem sigillis signatis, quas memoratus Philippus, rex Francie, per suas sub certa forma litteras, ut asseris, confirmavit plenius continetur. Quibus cautionibus a memoratis archiepiscopo et episcopo sic receptis, iidem archiepiscopus et episcopus, predicto tractatui, auctoritate apostolica eis in hac parte commissa, suum prebuerunt assensum, et quod decima ipsa de dictis proventibus, redditibus et obventionibus ecclesiasticis, taxandis juxta valorem et taxationem habitos olim circa collectionem decime concesse subsidio Terre Sancte predicte, colligatur et solvatur tibi per biennium continuum per episcopos in suis civitatibus et diocesibus, vel per viros ydoneos ab ipsis episcopis deputandos, beneplacito nostro in omnibus reservato. Eo tamen adjecto quod concessio decime predicte negotio decime a nobis concesse memorato regi Philippo pro prosecutione negotii regni Aragonie nullum prejudicium generaret. Quare nobis humiliter supplicasti ut, predictis conventionibus inter te, ac prefatas personas ecclesiasticas ejusdem tui ducatus habitis, prout in dictis tuis et ejusdem consortis tue litteris continetur, robur adhibere confirmationis apostolice dignaremur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, quod inter te ac ipsas personas ecclesiasticas in negotio supradicto taliter actum est, et in alterius prejudicium non redundat, ratum habentes et firmum id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nolumus tamen per hoc prefato regi Philippo in dicta decima, ut predicitur, sibi concessa prejudicium aliquod generari. Tenorem autem dictarum litterarum a te et memorata consorte tua, ut premittitur, super predictis satisdaccionibus prestitarum, de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus qui, talis est.

Universis presentes litteras inspecturis, Robertus, dux Burgundie et Agnes ejus uxor, filia bone memorie Lodowici quondam regis Francie, salutem in domino. Expediens rei publice et animabus nostris salubre fore credimus si statum ducatus nostri et terre nobis subjecte in melius deducamus. Hinc est quod universis presentibus et futuris serie prensentium intimamus, quod cum tractatus esset habitus pro communi utilitate, et prelocutus inter nos Robertum ducem predictum ex una parte, et reverendos patres.., Eduensem .., Lingonensem et Cabilonensem episcopos et capitula ecclesiarum cathedralium Eduensis et Cabilonensis et quedam alia capitula earumdem diocesum, necnon et quosdam abbates, priores et alias personas ecclesiasticas, tam religiosas quam seculares ducatus nostri

Burgundie, super eo quod persone ecclesiastice predicte requirebant a nobis quod nos et heredes nostri ac successores universi et singuli, et a nobis causam habentes, a monetarum mutatione frequenti, que prelatis, capitulis, conventibus et personis ac ecclesiis, monasteriis [fol. 213] et locis eisdem et universaliter omnibus incolis ipsius ducatus asseritur esse dampnosa, cessaremus omnino, et quod de cetero nos et heredes nostri et successores, vel a nobis causam habentes, monetam immutabilem forma, lege et pondere cudi ac fabricare faceremus, sub certo valore habendam, tenendam et perpetuo inmutabiliter observandam. In recompensationem vero hujusmodi monete inmutabilis faciende, tam prelati quam capitula, abbates, conventus et alie persone ecclesiastice in nostro ducatu predicto existentes, de omnibus proventibus, redditibus et obventionibus ecclesiasticis darent nobis decimam per biennium continuum, colligendam et solvendam per episcopos in suis civitatibus et diocesibus, vel per viros ydoneos ab ipsis episcopis deputandos, ad valorem taxationis quibus taxati fuerunt in decima concessa subsidio Terre Sancte. Nobiles vero et innobiles, clerici et laici conditionis libere existentes, de suis proventibus et redditibus darent nobis similiter decimam per biennium continuum tantummodo. Populares vero laici talliabiles, quilibet locum et focum tenens, daret nobis quinque solidos per biennium similiter continuum, summi pontificis super premissis beneplacito reservato. Tandem, accedente consensu excellentissimi domini nostri Philippi, Dei gratia Francie regis, accedente etiam consensu episcoporum, prelatorum ac personarum ecclesiasticarum tam religiosarum quam secularium ducatus nostri super premissis tenendis hinc inde et complendis. Nos, Robertus et Agnes predicti, promittimus nos facturos de cetero et in perpetuum monetam inmutabilem et eam facere cudi et fabricari legitimam forma, lege et pondere. Scilicet quod moneta nostra de cetero inmutabilis continebit impressionem solitam. Item erit talis ponderis videlicet quod decem et novem solidi et octo denarii divionenses facient marcham trecensem. Item, quod in ipsa marcha decem et novem solidorum et octo denariorum erunt, due uncie argenti puri de Montepesulano et sex uncie metalli quando exibunt de fabrica, et hec erit lex. Item valor et status monete erit talis, scilicet quod quindecim denarii divionenses valebunt duodecim parvos turonenses communiter currentes, et sic inmutabilis perpetuo permanebit. Item quod de moneta sub forma lege et pondere predictis tantum faciemus quod sufficiet ad usum patrie. Item, volumus et consentimus quod moneta hujusmodi, de biennio in biennium examinetur, quando exibit de fabrica per Eduensem et Cabilonensem episcopos, vel alterum eorum, convocatis duobus castellanis ducatus nostri predicti, quos viderint ad hoc ydoneos, et si inveniatur suo pondere, lege vel aliquo predictorum defraudata, volumus et consentimus quod dicti episcopi seu alter ipsorum, nos et successores nostros et a nobis causam habentes, possint sine strepito judiciario excommunicationis vinculo innodare, et terram nostram supponere ecclesiastico interdicto. Volumus etiam et consentimus quod potestatem faciendi et fabricandi monetam ac ipsam monetam amittamus, et ad regem Francie devolvatur, moneta in suo statu et robore permanente. Item, promittimus in omnibus quod super hoc non petemus gratiam nec recipiemus eam, si nobis vel successoribus nostris facta fuerit a Regia Majestate. Item, promittimus omnia dampna restituere, que incole ducatus nostri propter hoc sustinebunt omni strepitu et lite remotis. Volumus etiam et consentimus quod si in premissis vel aliquo premissorum deficeremus, quod absit per dictum dominum regem per captionem bonorum nostrorum et saisinam ducatus nostri, nos et successores nostri possimus compelli ad observationem premissorum. Item, volumus et consentimus quod sanctissimus ac dominus papa, qui pro tempore fuerit, nos et heredes nostros ac successores nostros valeat excommunicare, et ducatum nostrum supponere ecclesiastico interdicto. Item, volumus et consentimus quod heredes nostri et successores qui pro tempore fuerint, in novitate sua prestent juramentum hujusmodi de premissis observandis, episcopis predictis vel eorum capitulis, sedibus vacantibus, infra tres menses postquam ducatum intraverint, et litteras suas tribuant dupplicatas super premissis inviolabiliter observandis. Item, promittimus nos daturos litteras dupplicatas domini pape ac etiam litteras domini nostri Philippi Dei gratia regis Francie seriem presentium continentes, de premissis omnibus et singulis inviolabiliter observandis. Item, volumus et consentimus quod heredes nostri et successores, qui pro tempore fuerint, in novitate sua renovent litteras presentes dupplicatas, cum a predictis episcopis, vel eorum altero, fuerint requisiti et litteras regis Francie qui pro tempore fuerit renovare procurent. Item volumus et consentimus quod nullus usus, nulla consuetudo, nulla prescriptio possit nobis prodesse et incolis ducatus nostri obesse in premissis, seu aliquo premissorum, et hec omnia nos, Robertus et Agnes prenominati, promittimus ad sancta Dei evangelia nos firmiter, fideliter et legitime servaturos, et pro premissis omnibus

et singulis observandis obligamus nos et heredes, et successores nostros universos et singulos, et omnia bona nostra, mobilia et inmobilia, presentia et futura, necnon et nostrum ducatum, et omnes proventus et [fol. 213v] exitus ipsius, et omnia feuda nostra et retrofeuda, et alia jura personalia et realia ubicunque sint et in quibuscunque locis existant, et super hiis omnibus et singulis supponimus nos jurisdictioni domini pape ac domini regis Francie et episcoporum predictorum ubicunque fuerimus commorantes, renuntiantes quoad premissa et singula premissorum omnibus privilegiis et indulgentiis concessis et concedendis ac omnibus exceptionibus juris et facti ac consuetudinis, que nobis et nostris possent in hac parte prodesse et incolis nostri ducatus obesse. In cujus rei testimonium et munimen sigilla nostra presentibus litteris duximus apponenda. Datum Parisius, die jovis post assumptionem beate Marie Virfinis, anno domini millesimo ducentesimo octogesimo quarto, mense augusti.

Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. — Dat. Perusii, III nonas januarii, anno quarto. »

548 Pérouse, 7 février 1285.

Archiepiscopo Senonensi et episcopo Autisiodorensi de statu monetarum et decimae pro moneta firmanda in ducatu Burgundiae, scribit, verbis et sententiis competenter mutatis, sicut in superiori littera (n° 547). — (Reg. 41, fol. 213 v°; ann. IV, n° 56).

« *Venerabilibus fratribus.., archiepiscopo Senonensi et... episcopo Autisiodorensi.* Petitio dilecti filii. — Dat. Perusii, VII idibus februarii, anno quarto. »

549 Pérouse, 2 janvier 1285.

Jacobo regi Majoricarum, ad regnum ejus contra Petrum, quondam regem Aragoniae, tuendum, per triennium decimam omnium proventuum ecclesiasticorum, in regno Majoricarum et comitatibus aliisque locis jurisdictioni illius extra regnum Franciae subjectis, concedat. — (Reg. 41, fol. 214; ann. IV, n° 57; — POTTHAST, n° 22-208, *sous la date du* 12 *février*).

« *Carissimo in Christo filio Jacobo, regi Majoricarum illustro.* Affluentis devotionis affectus. — Dat. Perusii, IV nonas januarii, anno quarto. »

In e. m. Dilectis filiis.., archiepiscopo Narbonensi et.., episcopo Biterrensi. — Dat. ut supra.

550 Orvieto, 24 juin 1284.

Episcopo Cathalaunensi mandat quatinus electionem celebratam de Petro, dicto Le Sayne, in monasterio Omnium Sanctorum in Insula Cathalaunensi, si illam canonicam inveniat, confirmet, alioquin, ea cassata, conventui, ut de abbate ydoneo celeriter se provideant, injungat. — (Reg. 41, fol. 214 v°; ann. IV, n° 58).

« *Venerabili fratri .. episcopo Cathalaunensi.* Lecta coram nobis dilecti filii Petri, dicti Le Sayne, prepositi monasterii Omnium Sanctorum in insula Cathalaunensi, ordinis sancti Augustini, petitio continebat quod monasterio ipso per obitum Clarini, quondam abbatis ipsius, pastoris solatio destituto, dilecti filii conventus ejusdem monasterii, vocatis omnibus qui vocari debuerunt, et convenientibus, die ad eligendum prefixa, qui voluerunt et potuerunt comode interesse, ad providendum de substituendo abbate per viam scrutinii electam, concorditer processerunt; quodque, scrutinio celebrato legitime ac etiam publicato, compertum est majorem partem canonicorum tunc presentium in ipsum Petrum, minorem vero in dilectum filium Hugonem, ejusdem monasterii canonicum consensisse. Sicque de dictis Petro et Hugone duabus electionibus in discordia celebratis, et dicto Hugone ac Ponchardo, Roberto, Balduino et Huessono, ejusdem monasterii canonicis, ipsiusque Hugonis electoribus, electioni se opponentibus dicti Petri ortaque inter ipsos Petrum, ex parte una, ac Hugonem et alios predictos asserentes hujusmodi negotium per appellationem ad sedem apostolicam devolutam, ex altera, materia questionis nos dilectum filium nostrum Jacobum de Columna, sancte Marie in via lata diaconum cardinalem, concessimus eisdem partibus in causa hujusmodi auditorem, coram quo Hugone, Ponchardo et Roberto prefatis, personaliter, ac Nicolao de Cimaco, predictorum Balduini et Huessoni magistro, vero Johanne de Manivaut, dicti Petri procuratoribus, comparentibus pro eisdem, cum aliquandiu fuisset in causa ipsa processum, tandem idem Hugo, in presentia cardinalis ipsius, asserens quod ipse causam justam, sicut ex sapientum consilio acceperat, non fovebat, ac volens propterea indempnitati monasterii predicti consulere, sueque providere saluti, electioni predicte de se celebrate ac juri, si quod ex ea sibi foret forsitan acquisitum, in ipsius cardinalis manibus renuntiavit expresse, spontanea et libera voluntate, idemque cardinalis hujusmodi renuntiationem admisit, de nostro mandato facto sibi oraculo vive vocis. Cumque postmodum idem cardinalis, volens in hujusmodi negotio consulte ac in tuto procedere, omnes qui electioni dicti Petri se vellent opponere, pluries in audientia publica citari fecisset, demum dictus Nicolaus de Cimaco

coram ipso comparens, asseruit se ad prosecutionem cause ipsius expensas necessarias non habere, nec etiam monimenta vel acta per que posset instrui ad defensionem ipsius, in qua se negabat instructum, adiciens quod causam prosequi nolebat eandem, nec dicti Petri electionem aliquatenus impugnare. Et quanquam idem cardinalis hujusmodi renuntiationem dicti fratris Hugonis et cause defensionem ejusdem ac impugnationem electionis memorati Petri a prefato, ut supra exprimitur, Nicolao desertam, in audientia predicta publice nuntiari ac electores sepefati Hugonis et quoslibet alios qui sua crederent interesse, aut vellent electionem memorati Petri quomodolibet impugnare, in eadem audientia citari fecerit iterato, nullusque comparuerit coram eo, ipse tamen diligenter et attente discussit an per dictam appellationem, seu alias, esset ad sedem eandem idem negotium devolutum. Cum autem, nec per instrumenta exhibita, nec per testes ad id ex ejusdem Petri parte productos, de hoc fieri potuerit sibi fides, sicque nec in eadem causa per ipsum in curia de jure procedi, pro parte ipsius Petri nobis fuit humiliter supplicatum, ut dicto monasterio, ne in spiritualibus et temporalibus graviora incomoda vacationis diuturnioris incurrant, providere misericorditer curaremus. Nos itaque diligentius attendentes quod promptius [fol. 215] haberi poterit in partibus illis instructio predicte cause sufficiens, et cum eodem monasterio non solum juste, sed et gratiose, si gratia forsan hujusmodi remissio indigeret agere intendentes, premissum negotium ad examen tuum deliberavimus remittendum. Quocirca, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatenus, vocatis qui fuerint evocandi et inquisita de modo electionis sepefati Petri eligentium studiis et ipsius electi meritis diligentius veritate, electionem ipsam, si eam inveneris canonice de persona ydonea celebratam, auctoritate nostra, confirmans eidem Petro munus benedictionis impendas et a suis facias subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi. Alioquin, ea rite cassata, injungas predictis conventui ut sibi de abbate ydoneo celeriter studeant, per viam canonicam providere, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. — Dat. apud Urbermveterem, VIII kal. julii, anno quarto. »

551 Pérouse, 1er décembre 1284.

Giffredo de Veçano, nuntio apostolico in Anglia et Johanni de Luco, Londoniensi canonico mandat quatinus archiepiscopum Cantuariensem et quosdam clericos, de negotio quarumdam ecclesiarum Thomae de Camilla pertinentium, coram apostolica sede citent. — (Reg. 41, fol. 215 ; ann. IV, nº 59).

« *Dilectis filiis magistris Giffredo de Veçano, Cameracensis et nuntio nostro in Anglia, ac Johanni de Luço, Londoniensis ecclesiarum canonicis.* Exposuit nobis dilectus filius Thedisius de Camilla, capellanus noster, rector de Weringham et de Terringes ecclesiarum, Cantuariensis et Cicestrensis diocesum, quas idem capellanus ex dispensationis sedis apostolice se retinere proponit, quod olim dum ipse, qui sibi ab eadem sede dicit esse concessum ut in ejus absentia, fructus, redditus et proventus ecclesiarum ipsarum, cum ea integritate, percipere valeat, cum qua illos perciperet si in eisdem ecclesiis personaliter resideret, apud sedem moraretur eandem, venerabilis frater noster .. archiepiscopus Cantuariensis, predictum capellanum non citatum legitime, sine causa rationabili, per magistrum Hymbertum de Hienna clericum, motu proprio etiam post appellationem ab eodem capellano ad sedem ipsam legitime interjecta, de facto privari fecit ecclesiis supradictis. Propter quod, ex parte ipsius capellani ad sedem ipsam iterato extitit appellatum, ac idem archiepiscopus appellationibus hujusmodi vilipensis, predictam ecclesiam de Weringham magistris Rogero de Rovellere (?) Anselmo de Estria, Willelmo de Sardeine et Johanni de Knovyle, Cantuariensis et Lincolniensis diocesum, prefatam vero ecclesiam de Terringes, magistris Roberto de Lacy et Martino de Hampton clericis, earumdem Lincolniensis et Cicestrensis diocesum, minus juste contulisse dicitur, vel etiam commendasse propter quod prefatus capellanus, quamcito id ad ejus pervenit notitiam, ad eandem sedem vocem appellationis emisit. Postea vero, dicto capellano nobis humiliter supplicante, ut providere sibi super hoc paterna diligentia curaremus, nos tibi, fili Giffrede, nostris sub certa forma dedimus litteris in mandatis, ut per te, vel alium seu alios, vocatis qui forent evocandi, si tibi, de plano sine strepitu et figura judicii, ita esse constaret archiepiscopum et clericos memoratos, ex parte nostra moneres ut infra quindecim dierum spatium post monitionem hujusmodi, archiepiscopus restitueret, clerici quoque predicti dimitterent, eidem capellano ecclesias sepefatas et tam archiepiscopus quam clerici prescripti, eundem capellanum super eisdem ecclesiis nullatenus molestarent, sibique de fructibus medio tempore perceptis et qui percipi potuerant ex eis et rebus aliis ablatis ab ipsis ecclesiis, satisfactionem plenariam impendere procurarent. Alioquin, archiepiscopum et clericos supradictos, ac alios quoscunque invenires ipsas

ecclesias detinere, ex parte nostra peremptorie citares ut infra tres menses, tunc predictos quindecim dies immediate sequentes, per se vel per procuratores ydoneos apostolico se conspectui presentarent, facturi et recepturi super premissis quod ordo rationis dictaret. Porro tu, cui de premissis, ut dicitur, constitit prout tua relatio super hiis facta nobis asseritur continere mandatum hujusmodi adimplere cupiens, reverenter archiepiscopum ut infra quindecim dierum spatium restitueret, clericos quoque predictos dimitterent ipsi capellano ecclesias supradictas et ab ipsius super eisdem molestatione cessarent, sibique de fructibus medio tempore perceptis et qui percipi potuerant, et rebus aliis ablatis ab ipsis ecclesiis satisfactionem plenariam exhiberent, juxta formam monuisti predictam. Verum licet prefati archiepiscopus et clerici ab hujusmodi processu tuo appellationes varias ad sedem interjecerint antedictam, nichilominus tamen tu ipsos, quia non curarunt hujusmodi monitioni parere, predictarum litterarum auctoritate citasti, ut infra prescriptum trium mensium spatium coram nobis per se, vel procuratores ydoneos compararent facturi et recepturi quod ordo exigeret rationis, sed idem archiepiscopus et clerici ab hujusmodi citationis actu vocem appellationis ad nos dicuntur iterum emisisse. Cumque postmodum coram dilecto filio nostro Comiti, tituli sanctorum Marcellini et Petri presbitero cardinali, quem in causa hujusmodi concessimus auditorem, super hoc et maxime super eo quod procuratores dictorum archiepiscopi et clericorum processum et citationem hujusmodi multipliciter impugnabant, aliquamdiu fuisset processum, tandem intellecto quod in hujusmodi processu coram dicto cardinali habito nonnulla suscitantur obstacula, quibus et prorogatur judicium et debite diffinitionis pronuntiatio retardatur, nos, qui finem litibus desideramus imponi, volentes super hiis et versutis occurere diffugiis et callidis, versutiis obviare, ut, sublatis quibusvis anfractibus, in celeri et debita cause conclusione hujusmodi partibus, auctore domino, optatam procuremus quietem, tam appellationum pro parte dicti Thedisii in negotio hujusmodi emissarum, quam negotii principalis causas ipsasque [fol. 215v] contingentia apud eandem sedem debere tractari et per consequens, prefatos archiepiscopum et clericos ac quoscumque dictarum ecclesiarum detentores, non obstantibus processibus coram dicto cardinali, vel quavis alia persona, super hoc habitis, vel appellationibus interjectis, citandos providendo decernimus iterato. Quocirca, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus vos, vel alter vestrum, per vos vel per alium seu alios, dictos archiepiscopum et clericos ac quoscunque alios earundem ecclesiarum detentores, ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut infra tres menses post citationem hujusmodi per se vel per procuratores ydoneos, cum omnibus actis, juribus et munimentis suis, negotium hujusmodi contingentibus, compareant coram nobis facturi et recepturi, super hiis quod postulaverit ordo juris. Diem vero citationis et formam et quicquid super hiis duxeritis faciendum nobis per vestras litteras harum seriem continentes fideliter intimare curetis. — Dat. Perusii, kal. decembris, anno quarto. »

552 Pérouse, 5 février 1285.

Priorem Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani in Francia de undecim miliis librarum turonensium nuper a fratre Johanne de Isca, de ipso ordine, furtive subreptis et nunc integre persolutis, absolvat. — (Reg. 41, fol. 215 v°; ann. IV, n° 60).

« ..*Priori hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani in Francia.* Cum olim sicut te accepimus intimante, venerabilis frater noster Guillelmus, archiepiscopus Rothomagensis, quem dudum in minori officio constituti et in Gallicanis partibus legationis fungentes officio, super negotio decime in regno Francie Terre Sancte concesse subsidio duximus deputandum, undecim milia librarum turonensium, que nos ad hoc in eisdem partibus existentes, de pecunia ipsius decime a nonnullis personis et locis exemptis partium predictarum collecta, in domo ipsius hospitalis fiducialiter deposuimus, et que, prout asseris, frater Johannes de Isca, tunc unus ex fratribus dicte domus, infideliter agens et cecitate cupiditatis obductus, furtive subripuit et ad partes remotiores aufugit, instanter a te predicte terre nomine duceret exigenda, nobis humiliter supplicasti, ut cum ad tantam quantitatem pecunie persolvendam tunc nequaquam sufficeres, nisi prius illam non absque gravi ejusdem hospitalis dispendio reciperes sub usuris, nos tibi et hospitali predicto specialem gratiam facientes, super solutione hujusmodi exhibenda, indutias tibi concedere dignaremur. Unde nos diligentius attendentes, quod hospitale predictum, a longis retrotemporibus, speciali utique nobis affectione dilectum favorem plurimum magnumque prebet auxilium Terre Sancte, quodque ipsius hospitalis fratres non sine magnis sumptibus gravibusque periculis personarum in transmarinis partibus contra hostes fidei prelium domini preliantur, considerantes etiam quod status negotii dicte terre, cum nimis ne-

gligenter a fidelibus procederetur in ipso necessitate urgente, nequaquam exigeret ut tu in tante solutione pecunie tunc temporis gravaveris, tuis precibus inclinati, prefato archiepiscopo per nostras sub certa forma litteras dedimus in mandatis ut tibi super medietate pecunie supradicte usque ad instans, tunc festum nativitatis beati Johannis Baptiste, ac super medietate reliqua ipsius pecunie, usque ad aliud festum nativitatis ejusdem sancti tunc proximo secuturum integre persolvendis, inducias auctoritate nostra sine difficultate concedere procuraret, recepta prius a te ydonea cautione, quod in hujusmodi terminis predictam summam pecunie, memorato archiepiscopo cum integritate persolveres, terre nomine prelibate, nec interim te occasione hujusmodi molestaret, neque per alium faceret molestari significaturus, nobis per litteras suas predictarum nostrarum litterarum seriem continentes quod in hac parte duceret faciendum. Cum autem prefatus archiepiscopus nobis per suas patentes litteras intimaret quod ipse mandatis nostris obtemperans, tibi predictas indutias duxerit concedendas, quodque in terminis constitutis de mandato et assensu ejusdem dilecto filio .., thesaurario domus Militie Templi Parisiensis, de hujusmodi satisfeceris pecunie quantitate, ipsam in eadem domo predicte Terre Sancte nomine prefato thesaurario integraliter assignando, a nobis humiliter postulasti ut super hoc tue ac ejusdem hospitalis indempnitatibus et dispendiis precavere in posterum dignaremur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, quod per eundem archiepiscopum vel de mandato ipsius factum est in hac parte ratum habentes et gratum, ad tuam et dicti hospitalis cautelam omnes litteras omniaque instrumenta super hoc restituenda a te predicte pecunie quantitate confecta, irrita et inania decernimus, ac nullius existere firmitatis tibi presentes litteras in hujusmodi rei testimonium concedentes. — Dat. Perusii, nonis februarii, anno quarto. »

553 Pérouse, 8 janvier 1285.

Priori Praedicatorum et Ministro Minorum Fratrum Lombardiae et Januensis provinciarum articulos Humiliatorum contra archiepiscopum Mediolanensem transmittit ut de illis diligentiori testium examinationi procedant. — (Reg. 41, fol. 215 v°; ann. IV, n° 61; — POTTHAST, n° 22.197).

« *Dilectis filiis.., priori Predicatorum ac.., ministro Minorum fratrum ordinum Lombardie et Januensis provinciarum.* Petitio dilectorum filiorum .. magistri et capituli generalium ordinis Humiliatorum, necnon prepositorum, prelatorum et conventuum domorum ejusdem ordinis Mediolanensis, Cumane et Brixiensis civitatum et diocesum, nobis exhibita continebat quod olim inter ipsos et venerabiles fratres nostros.., archiepiscopum Mediolanensem .., Cumanum et .., Brixiensem episcopos, super eo quod quilibet eorumdem archiepiscopi et episcoporum in domibus ipsius ordinis consistentibus in suis civitatibus ac diocesibus, visitationem exercere se posse proponit, necnon et quibusdam aliis articulis orta materia questionis felicis recordationis Nicolaus papa predecessor noster dilectos filios nostros Matheum, sancte Marie in Porticu primo, et tandem postquam coram eo inter religiosos et episcopos prefatos, in causa hujusmodi litis, contestatio legitime facta fuit, Jordanum, sancti Eustachii diaconos cardinales dedit [fol. 216] in dicta causa partibus auditores. Verum inter religiosos et archiepiscopum memoratos, lite in causa ipsa coram eodem Jordano legitime contestata, tandem, dicto predecessore viam universe carnis ingresso, nobisque postmodum ad apicem apostolatus assumptis, factis coram eodem Jordano cardinali quibusdam positionibus hinc et inde, ac ad eas responsionibus subsecutis, formatis articulis et coram ipso Jordano cardinali exhibitis, tandem procuratoribus archiepiscopi et episcoporum predictorum a dicto cardinali ex quodam gravamine ad nos appellantibus, nos, venerabilem fratrem nostrum Ordonium, Tusculanum episcopum, in causa appellationis hujusmodi predicto Jordano cardinali auditorem duximus adjungendum, coram quibus in causa appellationis ipsius, diutius litigando dicti religiosi nobis humiliter supplicarunt, ut cum ipsi quosdam testes senes et valetudinarios de quorum morte vel absentia diuturna timetur, ad fundandam intentionem suam super principali habeant producendos, nec adhuc eadem appellationis causa que per duos annos duravit et amplius, terminata existat providere ipsis ac eorum ordini super hoc, ex officio nostro paterna diligentia curaremus. Nos itaque, ipsorum supplicationibus inclinati, ne predictis religiosis fortuitis casibus super hoc probationis copia subtrahatur, et propter hoc juri eorum in hac parte deperire contingat, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus per vos, vel per alios ad hoc ydoneos, testes hujusmodi super predictis articulis, quos vobis sub bulla nostra mittimus interclusos, denuntiantes primo per vos, vel per alium aut alios, archiepiscopo et episcopis memoratis ut, receptioni dictorum testium si velint, intersint, ac super denuntiatione hujusmodi confici facientes publica instrumenta infra decem mensium spatium a receptione presentium, prudenter recipiatis et examinetis etiam

diligenter dicta omnium testium predictorum, fideliter in scriptis redacta sub vestris sigillis inclusa ad nostram presentiam transmissuri. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione cessante, cogatis, preter quam super criminibus veritati testimonium perhibere. Non obstante indulgentia qua vobis, filii prior et minister, seu ordinibus vestris indultum esse dicitur, quod de negotiis que vobis a sede apostolica committuntur, non teneamini vos intromittere de eisdem, nisi de concessione hujusmodi expressa mentio habeatur. — Dat. Perusii, VIi dus januarii, anno quarto. »

Articuli Humiliatorum contra archiepiscopum Mediolanensem.

In nomine domini amen. Hii sunt articuli quos dat et probare intendit Mathias Theatinus procurator.., magistri et capituli generalis ordinis Humiliatorum ac.., prepositi et conventus domus de Porta Horientali ac prepositorum domorum et conventuum infrascriptarum domorum, scilicet domus Nove, domus de sancto Calimaro, domus de Canigate, domus de Sexto, domus sancte Agate, domus de Gissate, domus de Marliano, domus de Monteforti, domus de Braida, domus de Mirasole, domus sancte Trinitatis, domus de Vicoboldono, Mediolanensium civitatis et diocesis, contra venerabilem patrem dominum Ottonem, archiepiscopum Mediolanensem, in causa que vertitur inter ipsum dominum archiepiscopum ex parte una, et dictos magistrum, prepositos, prelatos et conventus domorum predictarum, super visitatione et correctione et aliis articulis, ex altera.

In primis probare intendit dictus Mathias procurator predictorum, quod ordo Humiliatorum fuit jam sunt centum annis et plures.

Item, quod jam sunt C anni et plures, quod dictus ordo, seu fratres dicti ordinis, habuerunt ecclesias et domos.

Item, quod LXXX et plures, et ab eo tempore citra et continue.

Item, quod jam sunt LXXX anni quod sedes apostolica approbavit dictum ordinem et statuit quod quatuor essent in ordine ipso prepositi principales, videlicet de Rondenario, de Vicoboldono, de Vigalone et de Laude, quorum singuli, annis singulis successive, uno videlicet anno unus, secundo secundus, tertio tertius et quarto quartus, universis domibus professionis dicti ordinis officium visitationis impenderent et que statuenda vel corrigenda reperirent, statuerent et emendarent, secundum Deum et dicti ordinis instituta, per sedem apostolicam approbata, et dispositionem et potestatem super minores prepositos obtinerent, sicut in Cisterciensi ordine patres abbates in minoribus consueverunt abbatibus obtinere.

Item, quod predicti quatuor prepositi, scilicet de Rondenario, de Vicoboldono, de Vigalone et de Laude ab LXXX annis citra visitaverunt et correxerunt vicissim, videlicet primo anno unus, secundo secundus, tertio tertius, quarto quartus, debitis temporibus, minores, prepositos et prelatos sive ministros et fratres et sorores domorum dicti ordinis Humiliatorum per annos XLV et usque ad tempus quo ordinatus fuit magister generalis in dicto ordine.

Item, quod per XL. Item, quod per XXX. Item, quod per XX. Item, quod per XV. Item, quod per X annos.

Item, quod predicti quatuor prepositi successive, ut dictum est, per tempora supradicta, fuerunt publice et notorie in possessione vel [fol. 216v] quasi et usu exercendi visitationem, correctionem, institutionem et destitutionem in prepositos, prelatos, fratres et sorores dicti ordinis, plenarie, pacifice et quiete.

Item, quod abbates patres Cisterciensis ordinis tempore dicti statuti et ante, et a C annis usque nunc, tanquam exemptos in hiis a jurisdictione archiepiscoporum et episcoporum, visitare et corrigere consueverunt minores abbates dicti ordinis, et fratres et conventus eorumdem, et nunc visitant et corrigunt et statuunt in minores abbates que statuenda et corrigenda reperiunt, et emendant secundum Deum et Cisterciensis ordinis instituta.

Item, quod ab LXXX. Item, quod a LXX. Item, quod a LX. Item, quod a L. Item, quod a XL. Item, quod tempore moderno.

Item, quod predicti patres abbates tempore dicti statuti et ante, et a C annis usque nunc, exercere consueverunt plenarie visitationem, correctionem, institutionem et destitutionem in personas et monasteria et conventus dicti ordinis Cisterciensis, scientibus et patientibus archiepiscopis et episcopis, et ceteris aliis locorum ordinariis, in quorum diocesibus predicta monasteria sunt sita, per tempora supradicta.

Item, quod dicti patres abbates a dicto tempore usque nunc, exercuerunt et exercere consueverunt illam visitationem, correctionem, institutionem et destitutionem in dictas personas, patientibus et scientibus predictis archiepiscopis et episcopis, quam et sicut archiepiscopi et episcopi exercuerunt et exercent et exercere debent, in priores et prepositos et prelatos et personas religiosas eis subjectas.

Item, quod postquam predicti quatuor prepositi ordinati fuerunt per apostolicam sedem in dicto ordine Humiliatorum, singuli, singulis annis successive, ut dictum est, visitaverunt, statuerunt, correxerunt et habuerunt et exercuerunt publice dispositionem et potestatem in prepositos et prelatos et fratres et sorores domorum dicti ordinis Humiliatorum, plenarie, scientibus et patientibus archiepiscopis et episcopis locorum, tanquam exemptos in hiis a jurisdictione archiepiscoporum et episcoporum, sicut, ut dictum est, patres abbates Cisterciensis ordinis consueverunt in minores abbates et fratres dicti ordinis obtinere et exercere, usque ad tempus quo generalis magister fuit in dicto ordine, loco ipsorum, ordinatus.

Item, quod a tempore quo dictus magister fuit per sedem apostolicam, loco predictorum quatuor prepositorum, ordinatus, plenarie visitationem, correctionem, institutionem et destitutionem exercuit publice, super totum ordinem primi et secundi ordinis Humiliatorum, tanquam exemptum in predictis a jurisdictione archiepiscoporum et episcoporum, scientibus et patientibus archiepiscopis et episcopis locorum in quorum civitatibus et diocesibus site sunt domus eorum, libere, pacifice et quiete.

Item, quod tam predicti quatuor prepositi principales, quamdiu in eorum officio permanserunt, singuli singulis annis, ut dictum est, quam magister generalis, qui eorum loco ordinatus fuit, fuerunt in plenaria possessione, vel quasi et usu faciendi et exercendi predicta continue, debitis temporibus, pacifice et quiete in prepositos, prelatos seu ministros et fratres et sorores dicti ordinis, scientibus et patientibus archiepiscopis et episcopis locorum in quibus site fuerunt et sunt domus dicti ordinis a LXXV annis.

Item, quod a LXX, Item, quod a LX. Item, a L. Item, a XL citra.

Item, quod prepositi, prelati, fratres et sorores dicti ordinis fuerunt pacifice et quiete et quasi in possessione hujusmodi libertatis et immunitatis scilicet quod visitabantur per quatuor prepositos et generalem magistrum et nuntios seu legatos domini pape, per LXXX annos et plus continue.

Item, quod per LXX annos continue. Item, quod per LX annos continue. Item, quod per L annos continue. Item, quod per XLV annos continue. Item, quod per XL annos continue.

Item, quod adhuc hodie sunt in possessione et quasi hujusmodi libertatis et immunitatis.

Item, quod domus dicti ordinis Humiliatorum site in civitate et diocesi Mediolanensibus, et quelibet earumdem sita ibidem, et earum prepositi, prelati sive ministri, fratres et sorores ipsarum domorum semper et continue fuerunt et steterunt sub visitatione, correctione, institutione et destitutione dictorum quatuor prepositorum suo tempore, ut dictum est, et postmodum magistri generalis, et ab eis visitati et correcti fuerunt, tanquam exempti a jurisdictione episcopali, pacifice, libere et quiete per predicta tempora et hodie visitantur et corriguntur per generalem magistrum.

Item, quod dicti quatuor prepositi, quamdiu fuerunt in eorum officio, et postmodum magister generalis, loco eorum ordinatus, usi fuerunt exercitio visitandi, corrigendi, instituendi et destituendi prepositos, prelatos fratres et sorores domorum primi et secundi ordinis Humiliatorum, sitarum in civitate et diocesi Mediolanensibus, et cujuslibet earum, pacifice, libere et quiete per supradicta tempora.

Item quod prepositi, prelati sive ministri, fratres et sorores domorum predictarum, et cujuslibet earumdem, receperunt visitationem et correctionem dictorum quatuor prepositorum, quamdiu fuerunt in dicto officio, et postmodum magistri generalis, sicut patris et domini, per tempora supradicta, scientibus et patientibus archiepiscopis Mediolanensibus qui fuerunt per tempora.

Item, quod nuntii et legati apostolice sedis, de speciali mandato ipsius sedis visitaverunt et correxerunt debitis temporibus, predictos quatuor prepositos principales dicti ordinis et postmodum magistrum generalem loco ipsorum ordinatum, et alios prepositos, prelatos, fratres et sorores domorum dicti ordinis, tanquam exemptos in predictis [fol. 217] a visitatione archiepiscoporum et episcoporum, in quorum civitatibus et diocesibus exstiterunt et exsistunt, patientibus ipsis archiepiscopis et episcopis.

Item, quod predicti quatuor prepositi principales, et magistri generales, et nuntii et legati apostolice sedis, debitis temporibus visitaverunt et correxerunt prepositos, prelatos, fratres et sorores domorum dicti ordinis Humiliatorum sitarum in civitate et diocesi Mediolanensibus, tanquam exemptos in predictis a jurisdictione archiepiscoporum Mediolanensium, ipsis archiepiscopis scientibus et patientibus.

Item, quod predicti quatuor prepositi, singuli singulis annis, ut dictum est, et magistri generales, et nuntii et legati apostolice sedis continue debitis temporibus exercuerunt plenarie visitationem, correctionem, institutionem et destitutionem in prepositos, prelatos, fratres et sorores domorum dicti ordinis Humiliatorum, scientibus et patientibus archiepiscopis et

episcopis locorum in quorum civitatibus et diocesibus domus dicti ordinis sunt site, per predicta tempora.

Item, quod predicti quatuor prepositi, et magistri generales, et nuntii et legati sedis apostolice a predicto tempore usque nunc exercuerunt et exercere consueverunt illam visitationem, correctionem, institutionem et destitutionem in dictas personas, scientibus et patientibus archiepiscopis et episcopis, quam et sicut archiepiscopi et episcopi exercuerunt et exercent, et exercere debent, in priores, prepositos et prelatos et personas religiosas eis subjectas.

Item, quod Romana ecclesia per se, seu per suos nuntios, visitavit, correxit, confirmavit, instituit et destituit omnes quatuor prepositos qui fuerunt pro tempore, et dictum magistrum generalem, qui ordinatus fuit loco eorum, scientibus et patientibus archiepiscopis et episcopis locorum in quibus site sunt domus dicti ordinis, sicut archiepiscopi et episcopi visitaverunt et visitare consueverunt abbates, priores et alios sibi subjectos.

Item, quod Ecclesia Romana, per se seu per dictos quatuor prepositos, et per generalem ministrum, ab eadem ecclesia Romana ordinatos, et per suos nuntios et legatos ad hoc missos, visitationem, correctionem, institutionem et destitutionem exercuit in prepositos, prelatos, fratres et sorores ordinis humiliatorum per LXXX annos.

Item, quod per LXX. Item, per LX. Item, per L. Item, per XL, usque nunc.

Item, quod hoc fecit sive exercuit per predictos nuntios in dictos quatuor prepositos et magistrum generalem, ab LXXX annis, debitis temporibus, usque nunc.

Item, quod ecclesia Romana per predictos suos legatos et nuntios, et per dictos quatuor prepositos, et per generalem magistrum prescripsit in prepositos et prelatos, fratres et sorores totius ordinis Humiliatorum visitationem et correctionem, institutionem et destitutionem, ab LXXX annis citra.

Item, a LXX. Item, a LX. Item, quod a XL. Item, quod a XXX.

Item, quod predicti prepositi, prelati, fratres et sorores, per omnia dicta tempora visitationem, correctionem, institutionem, destitutionem receperunt per dictos nuntios, sive legatos, prepositos, et per magistrum generalem, datos et concessos per Romanam ecclesiam, quod legati et quatuor prepositi et magister generalis dictas visitationem, correctionem, institutionem et destitutionem fecerunt, exercuerunt et eis usi fuerunt, ex concessione et mandato ac nomine ipsius ecclesie Romane.

Item, quod predicta sunt publica et notoria in dicto ordine et in domibus dicti ordinis.

Item, quod de predictis est publica vox et fama et communis opinio, in dicto ordine, in domibus dicti ordinis.

Item, quod in civitate et diocesi Mediolanensibus et specialiter in locis in quibus dicte domus sunt site.

Item, quod prepositi, prelati, fratres et sorores et domus dicti ordinis et ipse ordo fuerunt et sunt exempti et liberi et in possessione libertatis et exemptionis, quo ad visitationem, correctionem, institutionem et destitutionem, a jurisdictione archiepiscoporum et episcoporum in quorum civitatibus et diocesibus existunt et extiterunt per tempora supradicta.

Item, quod prepositi, prelati, fratres et sorores domorum civitatis et diocesis Mediolanensium dicti ordinis, fuerunt exempti et liberi et in possessione libertatis et exemptionis, quoad predicta, a jurisdictione archiepiscoporum Mediolanensium, qui fuerunt pro tempore per tempora supradicta et nunc sunt.

Item, quod prepositi, prelati, fratres et sorores domorum dicti ordinis fuerunt et sunt communiter ab omnibus in Lombardia habiti, et habentur, pro exemptis et liberis a predicta jurisdictione archiepiscoporum et episcoporum in quorum civitatibus et diocesibus constituti fuerunt, et sunt, per tempora supradicta, quantum ad visitationem, correctionem, institutionem et destitutionem.

Item, quod archiepiscopi et episcopi in quorum civitatibus et diocesibus fuerunt et sunt site ecclesie et domus dicti ordinis Humiliatorum, passi fuerunt dictos quatuor prepositos, successive, ut dictum est, visitare et corrigere et uti exercitio visitandi et corrigendi pacifice et quiete, minores prepositos et fratres et sorores ipsarum ecclesiarum et domorum, et ipsas eccleclesias et domos ab LXXX annis citra, usque ad tempus quo fuit ordinatus loco ipsorum quatuor prepositorum unus magister generalis per apostolicam sedem.

Item, quod archiepiscopi Mediolanenses, qui fuerunt pro tempore, passi fuerunt exercere predicta, a dicto tempore usque ad tempus quo fuit ordinatus loco ipsorum dictus magister, in prepositos, prelatos et fratres et sorores domorum sitarum in civitate et diocesi Mediolanensibus.

Item, quod postquam fuit ordinatus unus magister per apostolicam sedem loco ipsorum quatuor prepositorum, immediate ipsi archiepiscopi et episcopi passi fuerunt magistrum visitare et corrigere et uti exercitio

visitandi et corrigendi [fol. 217v] instituendi et destituendi, pacifice et quiete, prepositos, fratres et sorores ecclesiarum et domorum ipsius ordinis per annos X.

Item, per XX. Item, per XXX. Item, per XXXV.

Item, quod postquam dictus magister loco ipsorum prepositorum fuit sic ordinatus, archiepiscopi Mediolanenses, qui fuerunt pro tempore, passi fuerunt predictum magistrum visitare et corrigere et uti exercitio visitandi, corrigendi, instituendi et destituendi, pacifice et quiete, prepositos, prelatos, fratres et sorores domorum ipsius ordinis sitarum in civitate et diocesi Mediolanensibus per tempora supradicta.

Item, quod de predictis ab LXXX annis citra, fuit et est publica vox et fama in civitatibus et diocesibus dictorum archiepiscoporum et episcoporum et ecclesiis et domibus dicti ordinis.

Item, quod a dicto tempore LXXX annorum citra fuerunt et sunt publica predicta in predictis locis.

Articuli Humiliatorum contra .. episcopum Brixiensem

In nomine domini amen. Hii sunt articuli quos dat et probare intendit Mathias Theatinus procurator.., magistri generalis ordinis humiliatorum ac.., prepositi et conventus domus sancti Luce ac prelatorum domorum et conventuum domorum infrascriptarum, scilicet domus sancte Marie Magdalene, que dicitur de Gambara, domus de Castro Giuffredo, domus sancti Pauli, que dicitur de Pontevico, domus de Contegnaga, domus sancti Faustini, domus sanctorum apostolorum Symonis et Jude, que dicitur de Urceis, domus sanctorum apostolorum Philippi et Jacobi, domus de Palazolo, domus de Calino de Brixia, ejusdem ordinis, contra venerabilem patrem.., episcopum Brixiensem, in causa que vertitur inter episcopum ipsum ex una parte, et dictos magistrum, prepositum, prelatos et conventus domorum predictarum super visitatione et correctione et aliis articulis, ex altera. (*Sequitur, secut in articulis superioribus, verbis convenienter mutatis.*)

Articuli Humiliatorum contra .., episcopum Cumanum.

In nomine domini amen. Hii sunt articuli quos dat et probare intendit Mathias Theatinus procurator.., magistri generalis ordinis humiliatorum ac.., prepositi et conventus, fratris Guillelmi de Vico, ac prepositorum, prelatorum domorum et conventuum domorum infrascriptarum ejusdem ordinis, scilicet domus fratris Antonii de Vico, domus de Zono, domus de Rondenario, domus de sancto Vitale, domus de Cantarana, domus de Pontesolo, domus de Cuxia, domus fratris Landulfi, domus de Volio, domus de sancto Syxto, domus de Olzate, domus de Albiolo, domus de Mandrisio, domus de Ripa sancti Vitalis et in domos de Lugano, de Astano, de Cordora, de Locerno, de Montorsio, de Lalit, de Insula, de Tremedit, de Menasit, de sancto Georgio, de Dugano, de Grabadona, de Domasio, de Surico, de Clavena, de Tarnona, de Andevenit, de Trisino, de Tilic, de civitate Cumana et diocesi, contra venerabilem patrem.., episcopum Cumanum, in causa que vertitur inter ipsum episcopum ex una parte, et dictos magistrum, prepositos, prelatos et conventus domorum predictarum, super visitatione et correctione et aliis articulis, ex altera. (*Sequitur in eadem fere forma, ut in articulis superioribus, verbis competenter mutatis*).

554 Pérouse, 1er décembre 1284.

Archiepiscopo Remensi inquisitionem de electione Petri, dicti Le Sayne, in abbatem monasterii Omnium Sanctorum in insula Cathalaunensi, per mortem episcopi Cathalaunensis derelictam (1), committit. — (Reg. 41, fol. 219 v°; ann. IV, n° 62).

« *Venerabili fratri .. archiepiscopo Remensi.* Lecta dudum. — Dat. Perusii, kal. decembris, anno quarto. »

555 Pérouse, 22 novembre 1284.

Decano ecclesiae Pictavensis mandat quatinus electionem de Petro de Milaungis in priorem domus Dei pauperum de Monte Maurilio nuper celebratam, si illam canonice factam invenit, confirmet. — (Reg. 41, fol. 220; ann. IV, n° 63).

« *..decano ecclesie Pictavensis.* Dudum vacante prioratu domus Dei pauperum de Monte Maurilio, Pictavensis diocesis, due electiones, una videlicet de Petro de Milaungis, et alia de quondam Aymerico de Agia, fratribus dicte domus, fuerunt ibidem in discordia celebrate. Partibus itaque, apud sedem apostolicam constitutis et consentientibus inibi litigare, nos venerabilem fratrem nostrum Jeronimum Prenestinum episcopum eis concessimus auditorem, coram quo in negotio, ipso lite legitime contestata, prefatus Aymericus diem clausit extremum. Postea vero, cum pro parte prefati Petri in hujusmodi negotio procedi cum instantia peteretur, nos, qui ecclesiarum vacare comodis delectamur, volentes super hoc dicto prioratui de salutaris et celeris expeditionis remedio providere, discretioni tue per apos-

(1) *Cf.* n° 550.

tolica scripta mandamus quatinus, vocatis qui fuerint evocandis, et auditis hinc inde propositis, habito quoque super hoc coram eodem episcopo legitimo servato processu, electionem de dicto Petro celebratam, prout justum fuerit, confirmare vel infirmare, auctoritate nostra, procures. Quod si forsan illam te contigerit infirmare, illis ad quos spectat electio prioris in dicto prioratu eadem auctoritate injungas, ut per electionem canonicam, seu postulationem concordem, dicto prioratui provideant de priore. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. — Dat. Perusii, X kal. decembris, anno quarto. »

556 Pérouse, 23 janvier 1285.

Episcopo Anteradensi, in curia Romana propter quasdam accusationes Pauli, Tripolitani episcopi, litiganti constituto, ipso Paulo nunc defuncto, in civitatem Anteradensem redeundi licentiam concedat. — (Reg. 41, fol. 220; ann. IV, n° 64).

« *Venerabili fratri.., episcopo Anteradensi.* Ad querelam bone memorie. — Dat. Perusii, X kal. februarii, anno quarto. »

557 Pérouse, 8 janvier 1285.

Johanni, tituli sanctae Ceciliae presbytero cardinali, apostolicae sedis legato, mandat quatinus in monasterio de Collonges, Carnotensis diocesis, nuper ab Johanne de Castillone, comite Blesensi, et Aelide uxore sua erectum, congruum sororum collegium ordinet, et jure exemptionis illo uti concedet. — (Reg. 41, fol. 220; ann. IV, n° 65; — POTTHAST, n° 22.196.)

« *Dilecto filio Johanni, tituli sancte Cecilie presbitero cardinali, apostolice sedis legato.* Lecta nobis dilectarum. — Dat. Perusii, VI idus januarii, anno quarto. »

558 Pérouse, 18 décembre 1284.

Conrado, episcopo Ortano, electionem de illo factam, post duas electiones, de Theoderico vero, sancti Andreae Urbevetani priore et de Henrico, canonico Tudertino inaniter celebratas, dictis Theoderico et Henrico consensum prestare recusantibus, confirmat. — (Reg. 42, fol. 220 v°; ann. IV, n° 66).

« *Venerabili fratri Conrado, episcopo Ortano.* Dudum ecclesia Ortana. — Dat. Perusii, XV kal. januarii, anno quarto ».

In e. m. dilectis filiis capitulo ecclesie Ortane. — Dat. ut supra.

559 Pérouse, 7 janvier 1285.

Valentiniensem et Diensem episcopum a juramento quod fecit de visitandis, singulis biennis, apostolorum liminibus absolvit. — (Reg. 41, fol. 221; ann. IV, n° 67).

« *Venerabili fratri Valentiniensi et Diensi episcopo.* Ex parte tua fuit propositum. — Dat. Perusii, VII idus januarii, anno quarto. »

560 Orvieto, 12 juin 1284.

Berardo, camerario suo, canonicatum et praebendam quae in Eboracensi ecclesia per mortem Bonifatii de Coconato in partibus Lombardiae decessi, vacant, confert. — (Reg. 41, fol. 221; ann. IV, n° 68).

« *Dilecto filio Berardo, camerario nostro, canonico Eboracensi.* Dum obsequia grandia. — Dat. apud Urbemveterem, IV nonas junii, anno quarto. »

In e. m. dilectis filiis magistris Egidio de Castelleto, notario nostro, preposito ecclesie Brugensis, Tornacensis diocesis et Giffredo de Vezano, canonico Cameracensi, camere nostre clerico, in Anglia commoranti. — Dat. ut supra.

561 Orvieto, 13 juin 1284.

Archiepiscopo Ragusino, mandat quatinus singulis ecclesiis cathedralibus Tribuniensi et Stagnensi, a tanto tempore vacantibus quod earum provisio ad sedem apostolicam devoluta est, praeficiat hac vice, auctoritate apostolica, personas ydoneas in episcopos ac in eos munus consecrationis impendat. — (Reg. 41, fol. 221 v°; ann. IV, n° 69; — POTTHAST n° 22.159.)

« *Venerabili fratri.., archiepiscopo Ragusino.* Ad audientiam nostram pervenit. — Dat. apud Urbemveterem, idus junii, anno quarto. »

562 Pérouse, 9 janvier 1285.

Johanni Moscate, archidiacono Lancitiensi, denarium beati Petri in Polonia et Pomerania colligendi committit officium et curam. — (Reg. 41, fol. 221 v°; ann. IV, n° 70; — POTTHAST, n° 22.199.)

« *Dilecto filio Johanni Moscate, archidiacono Lancitiensi, in ecclesia Gneznensi.* Puritas devotionis et fidei quam te circa nos et Romanam ecclesiam, tam ex fidedignorum testimonio, quam tue probitatis actibus, habere accepimus, nos hortatur ut personam tuam, sincera complectentes in domino caritate sollicitudinem tuam in nostris et ecclesie predicte agendis, cum expedit, fidutialiter requiramus, sperantes ut ea que a sede

apostolica tibi committuntur, fideliter exequi et prosequi studeas diligenter. Cum itaque denarius beati Petri, sive census ecclesie Romane in Polonia et Pomerania debitus, elapsis jam annis quampluribus non fuerit ipsi ecclesie, sicut accepimus, persolutus, nos de discretione tua plenam in domino fidutiam obtinentes, exigendi [fol. 222], colligendi et recipiendi per te, vel alium, nostre et ecclesie predicte nomine, ea omnia que sedi apostolice de hujusmodi denario censibus, redditibus, proventibus et debitis, ex quibuscunque juribus vel causis, spiritualibus vel temporalibus, a quibuscunque personis, ecclesiasticis vel secularibus, ecclesiis, monasteriis, civitatibus, castris, villis vel loci debentur, pro toto tempore quo de hujusmodi censibus, redditibus, proventibus et debitis tibi non constiterit fore Romane ecclesie satisfactum, necnon et compellendi debitores et detemptores hujusmodi ad solutionem predictorum omnium tibi faciendam, postquam tibi, vel illis quibus super hiis vices tuas commiseris, de hoc per inquisitionem vel alio modo constiterit, eosque qui pro hujusmodi debitis non solutis excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententias incurrerunt, a prefatis sententiis, postquam de hiis tibi satisfactum fuerit, absolvendi et faciendi etiam super hoc litteras absolutionis, necnon et quietationis de hiis que tibi fuerint, prefato nomine, persoluta, contradictores quoque cujuscunque dignitatis, ordinis, conditionis seu gradus existant, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi liberam tibi auctoritate presentium concedimus facultatem. Non obstante, si personis aliquibus ab eadem indultum existat quod per litteras sedis ipsius excommunicari, interdici nequeant aut suspendi et quibuscunque indulgentiis, vel privilegiis, per que effectus presentium in hac parte impediri valeat, vel etiam retardari, et de quibus plenam et expressam aut de verbo ad verbum, oporteat in nostris litteris fieri mentionem, seu quibuscunque litteris apostolicis super exigendis et recipiendis eisdem denario sive censibus, alii vel aliis destinatis, ac constitutione de duabus dietis edita in concilio generali. Volumus autem ut frequenter rescribas nobis per tuas litteras harum seriem continentes, quid, et quantum, et pro quanto tempore et a quibus per te, vel alios, inde duxeris colligendum. — Dat. Perusii, idus januarii, anno quarto. »

563 Pérouse, 28 décembre 1284.

Johanni Moscate, de eodem negotio. — (Reg. 41 fol. 222; ann. IV, n° 71).

« *Eidem.* Cum sicut accepimus nonnulli episcopi et archidiaconi sive alii ecclesiarum prelati de denario beati Petri sive censu in Polonia et Pomorania ecclesie Romane debito magnam collegerint sive receperint pecunie quantitatem, nec de ipsa, prout debuerunt, camere nostre satisfacere procurarint, discretioni tue presentium auctoritate committimus et mandamus quatinus, inquisita super hiis diligentius veritate, eos quos tibi constiterit hujusmodi pecuniam recepisse ad restitutionem ipsius pecunie faciendam, tibi, nostro et prefate ecclesie nomine, per te, vel per alium, monitione prehabita, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellas. Non obstante, si aliquibus a sede apostolica est indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per litteras sedis apostolice non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem ut frequenter rescribas nobis per tuas litteras harum seriem continentes, quid et quantum et pro quanto tempore et a quibus per te vel alios inde duxeris colligendum. — Dat. Perusii, V kal. januarii, anno quarto. »

564 Pérouse, 9 janvier 1285.

Archiepiscopo Gneznensi et ejus suffraganeis mandat quatinus Johanni Moscate, archiciacono Lancitiensi, cui denarium beati Petri in partibus Poloniae et Pomeraniae commisit exigendum, circa hujusmodi collectionem, auxilium impendant. — (Reg. 41, fol. 222; anno. IV, n° 72; — POTTHAST, n° 22.200, *avec la date* : « II id. jan. »)

« *Venerabilibus fratribus.., archiepiscopo Gneznensi et ejus suffraganeis.* Cum de dilecti. — Dat Perusii, V idus januarii, anno quarto. »

In e. m. dilectis filiis.., magistro.., prescriptori et fratribus hospitalis Sancte Marie Theotonicorum per Prusciam, Poloniam et Pomoraniam constitutis. — Dat. Perusii, II idus januarii, anno quarto.

In e. m. venerabili fratri.., episcopo Caminensi. — Dat. ut supra.

565 Pérouse, 9 janvier.

Universis ducibus per Poloniam et Pomeraniam constitutis mandat quatinus Johannem Moscate specialiter habeant commendatum. — (Reg. 41, fol. 222; ann. IV, n° 73; — POTTHAST n° 22.198.)

« *Dilectis filiis nobilibus viris, universis ducibus per Poloniam et Pomoraniam constitutis.* Credimus quod geritis. — Dat. Perusii, V idus januarii, anno quarto. »

In e. m. dilecto filio nobili viro.., duci Slezie et domino Wratislavie. — Dat. ut supra.

In e. m. dilecto filio nobili viro.., duci Cracovie. — Dat. ut supra.

566 Pérouse, 11 janvier 1285.

Ducibus de Opol, Wratislaviensis et Cracoviensis diocesum, mandat quatinus denarium beati Petri hominibus ducatuum suorum integre persolvi faciant. — (Reg. 41, fol. 222 v°; ann. IV, n° 74; — POTTHAST, n° 22.201).

« *Dilectis filiis nobilibus viris ducibus de Opol, Wratislaviensis et Cracoviensis diocesum.* Honorem vestrum decere. — Dat. Perusii, II idus januarii, anno quarto. »

567 Pérouse, 13 janvier 1285.

Pro Johanni Moscate, litteras de salvo conductu dercernet — (Reg. 41, fol. 222 v°; anno IV, n° 75).

« *Martinus etc. Venerabilibus fratribus..., archiepiscopo Gneznensi et ejus suffraganeis, ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconibus, archipresbiteris, plebanis et aliis ecclesiarum prelatis ac eorum vices gerentibus ac ecclesiasticis personis, religiosis et aliis ecclesiarum capitulis et conventibus exemptis et non exemptis, Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, sancti Benedicti, sancti Augustini et aliorum ordinum, necnon magistris et preceptoribus Militie Templi et Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitane et Beate Marie Theotonicorum per Poloniam, et Pomoraniam constitutis ad quos littere iste pervenerint, salutem etc.* » Cum dilecto filio. — Dat. Perusii, idus (*sic*) januarii, anno quarto. »

568 Pérouse, 11 mars 1285.

Bartholomeo episcopo Anteradensi tribus personis ydoneis tabellionatus officium ab ipso conferri, concedat. — (Reg. 41, fol. 222 v°; ann. IV, n° 76).

« *Venerabili fratri Bartholomeo, episcopo Anteradensi.* Tua nobis fraternitas. — Dat Perusii, V idus martii, anno quarto. »

569 Orvieto, 26 mai 1284.

Enrico, regi Angliae, super quibusdam petitionibus ab eo factis de diversis rebus et specialiter de negotiis Terrae Sanctae convenientes in singulis responsiones dat. — (Reg. 41, fol. 222 v°; ann. IV, n° 77; — POTTHAST, n° 22.143).

« *Martinus etc. Carissimo in Christo filio Enrico, regi Anglie illustri.* Venientes ad nos diebus istis preteritis, dilecti filii magister W., canonicus Wellensis et nobilis vir Helyas, nuntii tui, nobis ex parte tua quasdam petitiones regias presentarunt. Nos autem, circa petitiones easdem nostra studia convertentes, illas cum fratribus nostris examinavimus diligenter, ut nostri tuis corresponderent affectus et tandem, super hiis deliberatione prehabita, responsiones nostras ad petitiones hujusmodi tenore tibi presentium intimamus, tam petitiones quam responsiones predictas presentibus inseri facientes. Quarum tenores tales sunt :

Prima petitio tua. Quod concedatur tibi tota decima nunc collecta in regnis Anglie et Scotie et in omnibus terris tuis, videlicet in Ibernia, Wallia [fol. 223], Wasconia et Pontivo.

Responsio . Tibi signum crucis infra festum natalis domini proximo futurum in Terre Sancte subsidium sollempniter assumenti et publice deferenti, concedimus decimam collectam in regno Anglie, Ibernie et Wallie et etiam in regno Scotie, ita si ad id carissimi in Christo filii nostri.., regis Scotie, consensus accedat. In quo casu, de decima ipsius regni Scotie tenearis magnatibus ejusdem regni transfretare volentibus, juxta provisionem sedis apostolice, subvenire. Hujusmodi autem decima tibi assignabitur per biennium ante terminum ad passagium per sedem apostolicam prefigendum. In Wasconia vero et Pontivo decima eadem concedi non potest, quia carissimo in Christo filio nostro.., regi Francie illustri secundum ordinationem Lugdunensis concilii est concessa.

Secunda petitio. Quod Romanus pontifex mittat ad partes predictas aliquem, de quo confidas, qui possit inquirere an decima sit rite et tempore suo soluta et an collectores aliquos mulctaverint pro decima, nullo modo, seu suo tempore, non soluta, vel si collectores, sub alio quocunque colore, pecuniam receperint et in usus suos converterint et quod hujusmodi mulcte et pecunie sic recepte, tibi similiter assignentur.

Responsio. Mittetur aliquis de quo tu possis et debeas confidere, cui per te ac per tuos, assistere poteris in commissis, cum ab eo extiteris requisitus, qui inquiret an decima fuerit debite ac rite soluta et quod, per inquisitionem hujusmodi, inveniri poterit et haberi, assignabitur tibi eo modo ut decima supradicta. De mulctis vero et pecunia per collectores male recepta, quod petitur non potest decenter admitti. Cum enim collectores ad id non habuerint potestatem, constat eas extorta fuisse illicite et sed (*sic*) qui eas extorserunt puniendi sunt, et pecunia, juxta ordina-

tionem ipsius sedis, illis, a quibus extorta fuerat, est reddenda.

Tertia petitio. Item, quod illi nuntio sic mittendo possis aliquem de tuis adjungere, ita quod illi duo, auctoritate apostolica, possint inquirere et exequi supradicta.

Responsio. Ista non conceditur, quia nulli invenitur esse concessa immo, licet aliquando petita fuerit, tamen fuit ex causis rationabilibus denegata, tempore concilii Lugdunensis.

Quarta petitio. Item petis decimam secundum verum valorem in predictis regnis et terris ad quinquennium pro Terre Sancte subsidio tibi dari.

Responsio. Tibi signum crucis infra festum natalis domini proximo futurum in Terre Sancte subsidium sollempniter assumenti, et publice deferenti, concedimus decimam in Anglia, Wallia et Ibernia per tres annos, competenti tempore, prout videbitur colligendam et assignandam per biennium, ante dictum triennium ad passagium prefigendum.

Quinta petitio. Item petis omnia et singula ad Terre Sancte subsidium in Lugdunensi concilio assignata tibi similiter assignari.

Responsio. Fiet juxta ordinationem sedis apostolice, quod in ista petitione continetur in terris illis in quibus decima concedatur.

Sexta petitio. Item, ea que de redemptionibus votorum proveniunt legata indistincte relicta, legata specialiter in Terre Sancte subsidium et bona intestatorum ad tam pium negotium prosequendum, petis tibi de benignitate apostolica assignari.

Responsio. Tibi signum crucis infra festum natalis domini proximo futurum in Terre Sancte subsidium sollempniter assumenti, et publice deferenti, concedimus, in terris illis in quibus et decimam, redemptiones votorum Terre Sancte et legata in subsidium Terre Sancte indistincte relicta, bona vero intestatorum concedi non possunt, quia bona illa de jure ad alium debent revolvi et nunquam invenitur hoc fuisse concessum.

Septima petitio. Item petis primos fructos beneficiorum vacantium in predictis regnis et terris, ad decennium, tibi dari, beneficiorum cum cura rectoribus ad substentationem eorum portione congrua per locorum ordinarios primitus assignata.

Responsio. Hec petitio non conceditur, nec ulli adhuc principi, etiam in Terre Sancte subsidium est concessa.

Octava petitio. Quod predictis petitionibus exauditis, tu signum vivifice crucis assumes, ita quod circa quinquennium ad arripiendum iter versus Terram Sanctam nequaquam arteris, nec iter hujusmodi ultra quinquennium nimium fortassis donec senueris differatur.

Responsio. Placet quod infra quinquennium ad iter arripiendum nequaquam arteris, nec ultra predictum quinquennium cogaris adeo id differe et quod ad negotium prosequendum inhabilis habearis.

Scire quoque te volumus quod si in premissis, assumptione, delatione et insuper voti crucis prosecutione, juxta dicte sedis arbitrium, te deficere, forte contigerit intendimus quod dispositio predictorum omnium ad Romanam ecclesiam devolvatur, et apud eam remaneant libere, ac si facte per nos responsiones seu concessiones hujusmodi non fuissent. Dat. apud Urbemveterem, VII kal. junii, pontificatus nostri anno quarto. »

FIN DES COMMUNES DE LA QUATRIÈME ANNÉE

INCIPIT REGESTRUM LITTERARUM CURIE QUARTI ANNI

DOMINI MARTINI PAPE IIII

---

570 Orvieto, 5 avril 1284.

G., episcopo Sabinensi, Apostolicae Sedis legato, mandat quatinus omnibus Ecclesiae et regi Carolo adversus rebelles regnum Siciliae occupantes auxiliantibus veniam quam concedi transfretantibus in Terrae Sanctae subsidium consuevit, concedat. — (Reg. 41, fol. 224; ann. IV, Cur. n° 1.)

« *Martinus episcopus servus servorum Dei. Venerabili fratri G., episcopo Sabinensi, apostolice sedis legato, salutem et apostolicam benedictionem.* Exurgat dominus, indicet causam suam improperiorum suorum non immemor, que sunt ab insipientibus tota die. Numquid enim non propria causa ejus contra illorum perfidiam per quos in populo christiano guerris gravibus excitatis principibusque catholicis distractis, ad alia impediuntur pia sua negotia et precipue Terre Sancte, quam scriptura sacra testatur sibi omnibus cariorem ? Per quos sacrosancta ecclesia sponsa sua sic graviter leditur, sic gravatur enormiter quod invaditur regnum ejus, regnum inquam Sicilie, terra peculiaris ipsius? Per quos insula Sicilie, pars dicti regni non modica, rebellis efficitur et occupata tenetur relique regni partes ejusdem diversis impetuntur insidiis et in illis etiam eadem ecclesia et carissimus in Christo filius noster Carolus Sicilie rex illustris, qui regnum idem tenens, ab ipsa ejus est exinde non solum vassallus sed et specialis atletha multipliciter impugnantur? Numquid et iterum non sua improperia tam graves, tam enormes injurie illate ipsi ecclesie sponse sue ? Numquid et tertio non insipientes qui hec fecerunt et faciunt, contemptis suorum predictorum excessuum detestationibus, increpationibus, monitionibus, inhibitionibus, preceptis, sententiis et penarum comminationibus, que nuper in nostris processibus jam iteratis edidimus non tantum in predictis suis injuriis et excessibus persistentes, sed et eos dolis et machinationibus variis perversisque conatibus aggravantes ? Hii profecto sunt protervi Siculi qui debite nobis, ecclesie ac regi predictis fidelitatis obliti, post presumptam temerarie rebellionis audatiam, contra nos, ecclesiam regemque prefatos in eam prorupisse feruntur insaniam ut Petrum, quondam regem Aragonum, in ducem et dominum sibi quasi novum Baal ydolum erexisse dicantur, quatinus ipse factus devorator ipsorum, devoretur tandem virtute Altissimi pariter cum eisdem. Hii omnes ceterique ipsorum in hoc complices et fautores sapientis testimonio non indigne sub insipientis metaphora describuntur, si quidem, ut premissa indicant, increpationes sic odiunt quod contempnunt. Exurgat itaque dominus, ipsosque preveniat celeris preventione vindicte, preveniat obiter et subvertat, rigat brachium suum sicut ab initio, allidat in virtute sua virtutem illorum, obumbret in die belli capud zelantium zelum ejus, bellantium bellum ipsius, protegat eos armis sue potentie, sit illis de alto victoria, sit de celo veniens fortitudo. Ceterum quia ut premissorum series perhibet in hiis causam Dei agi conspicimus sicut per processus prefatos eam persequentibus putavimus obviandum, sic illam devote prosequentibus decrevimus etiam spiritualibus auxiliis assistendum, ut causam ipsam eo ferventius prosequantur quo securius prosecutionis

hujusmodi quemvis experientur eventum. Ideoque de ipsius omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus Christi fidelibus, de quibusvis partibus oriundis, qui contra memoratos olim regem Aragonum, Siculos complices et fautores aliosve quoslibet in regno predicto, seu qualibet ejus parte, nos, ecclesiam, prefatumque regem Sicilie impugnantes nobis ecclesie vel regi Sicilie memoratis astiterint, si eos vel eorum aliquem in hujusmodi cause Dei prosecutione mori contigerit, illam peccatorum suorum de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, veniam indulgemus, quam concedi transfretantibus in Terre Sancte subsidium consuevit. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus presentes litteras in omnibus locis tue legationis de quibus expedire videris sublato cujuslibet more dispendio publices et ab aliis facias publicari. — Dat. apud Urbemveterem, nonis aprilis, pontificatus nostri anno quarto.»

In e. m. venerabili fratri B.., episcopo Portuensi, apostolice sedis legato.

571 Orvieto, 6 avril 1284.

Processus contra Petrum, quondam regem Aragoniae.— (Reg. 41, fol. 224 v°; ann. IV, Cur. n° 2; POTTHAST, n° 22.123).

Processus habiti de anno quarto in die Gene domini — *Processus contra Petrum quondam regem Aragonie.* « *Martinus etc. Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum.* Excitate in insula Sicilie turbationis audatia, cui Panormitanorum effrenata temeritas, quin potius effera crudelitas, patens et horrendum dedit initium, quamque reliquorum Siculorum generalis rebellio, quasi e vestigio revelata una cum illis, prosecuta est hactenus et adhuc pertinacia obstinata prosequitur, in apostolice sedis deducta notitiam nos, ad obstandum multiplicium malorum initiis que, non absque gravibus periculis animarum et corporum, turbatio eadem in sui exordio minabatur et, proh dolor! in continuatione presentat, more pii patris non solum monitionibus, mandatis, preceptis et inhibitionibus ipsis rebellibus et aliis eorum occasione factis sententiis variis contra non parentes eisdem, de fratrum nostrorum consilio promulgatis, necnon et diversis penis comminatis, institimus sed et venerabilem fratrem nostrum Sabinensem episcopum, apostolice sedis legatum, duximus destinandum ut monitionum, inhibitionum, mandatorum preceptorumque predictorum ac comminationum et ipsius legati ministerio rebelles eosdem a tam grandis ruine discrimine, cui se temere subjecerunt, mansuetudo paterne pietatis eriperet et ad fidelitatis semitas a quibus eos nimis proculdubio devius error abduxerat, revocaret. Sed Petri quondam regis Aragonum, quem turbationis ejusdem machinatorem subdolum et actorem precipuum communis clamat opinio et incentorem, fautorem ac prosecutorem infestum facti evidentia manifestat, dolis et insidiis revelatis eoque hostiliter eandem insulam contra nos, Romanam Ecclesiam et carissimum in Christo filium nostrum Carolum, regem Sicilie illustrem, absque diffidationis premissione cujuslibet et proinde non sine note proditionis ingresso seque pro Sicilie rege gerente ac alias multiplicante cotidie adversus nos, ecclesiam et regem eosdem injustitias, injurias, contumelias dolosque diversos, nos, tam quoad eum, gentem suam dictosque rebelles, quam etiam quoad alios universos cujuscunque preminentie, conditionis aut status, monitiones, inhibitiones, mandata, precepta, comminationes et sententias varias juxta facti exigentiam multiplicare curavimus. Ipsosque, ac specialiter dictum Petrum, tunc regem Aragonum, sub certa forma, expresse monuimus ut infra certa tempora, que ipsis pro peremptoriis terminis assignanda duximus, a pretactis suis excessibus desistentes, omnino ad nostra et ecclesie mandata redirent. Et quia ipsum Petrum, non solum premissorum omnium contumacem invenimus contemptorem, verum etiam detestabiliorum excessuum et offensarum multiplicatorem assiduum, nos, contra eum et usque ad dictum terminum et post clementer aliquandiu expectatum, cogente conscientia et exigente justitia, de ipsorum fratrum consilio procedentes et regnum Aragonie ceterasque tunc ejus terras juxta premissam super hoc specialiter denuntiationem et comminationem exponentes, modo subscripto ipsum sententialiter eisdem regno et terris regioque honore privavimus et privantes, regnum et terras eadem exposuimus occupanda catholicis de quibus et prout ipsa sedes apostolica duceret providendum, in regno et terris eisdem, prefate Romane Ecclesie jure salvo. Vassallos ipsius quos ut processuum nostrorum continentia seriosa declarat, a juramento fidelitatis si quo tenebantur eidem absolvendos antea duxeramus, denuntiantes penitus absolutos et denuo ab eodem et quolibet fidelitatis vinculo et homagio absolventes. Eosdem quoque Petrum, Siculos complices et fautores eorum omnesque alios singulares qui nostras monitiones, inhibitiones et comminationes super hiis et circa hec habitas, dampnabiliter contempserunt, ex-

communicationis universitates vero civitates, castra et loca cetera denuntiavimus interdicti sententiis subjacere, ipsos et ipsa, ex causis eisdem et propter continuatam auctamque contumatiam, eorumdem similibus sententiis supponentes. Universis preterea Christi fidelibus cujuscunque conditionis, preminentie sive status, etiam si decorarentur pontificali seu regia dignitate, et specialiter archiepiscopis, episcopis et aliis inferioris gradus prelatis et personis ecclesiasticis, religiosis cujuscunque religionis aut ordinis, et secularibus ipsique Petro, comitibus, vicecomitibus, baronibus, universitatibus civitatum, castrorum ceterorumque locorum ac universis incolis et habitatoribus eorumdem regni ac terrarum, quibus dictum Petrum, tunc Aragonum regem, privavimus, duximus inhibendum ne ipse Petrus, de dictis regno et terris, se aliquatenus intromittat, neve ceteri supradicti eidem Petro, vel aliis quibuscunque, contra predictas privationem et expositionem aut prosequentes easdem per quos dicta regnum et terras occupanda, sedes eadem provideret temptantibus se opponere, quoquomodo assisterent, vel qualitercunque faverent, sive prestarent in hoc consilium, auxilium vel favorem publicum vel occultum, quacunque occasione quesita, vel pretextu alicujus homagii, vel [fol. 225] cujuscunque colligationis, confederationis, societatis seu cujusvis conventionis, aut jure contracte antea, sive in posterum contrahende, etiam si colligationes, confederationes, societates et conventiones hujusmodi ac alia supradicta penarum adjectionis vel juramenti seu cujusvis alterius essent vinculo firmitatis innexa. Nos enim ex tunc colligationes, confederationes, societates et conventiones ceteraque hujusmodi premissa quoad hoc de plenitudine dissolvimus potestate juramenta super illis prestita penasque propterea promissas penitus relaxantes, et universos et singulos qui eas contraxerant se ad observationem quantumcunque sollempniter astringendo, ab ipsarum in premissis observatione penitus absolventes. Specialiter autem archiepiscopis, episcopis et ceteris personis ecclesiasticis, comitibus, vicecomitibus, baronibus, incolis et habitatoribus supradictis eorumdem regni Aragonie ac terrarum expresse prohibere curavimus ne dictum Petrum, olim regem Aragonum, pro rege vel domino reciperent vel haberent, neve sibi obedirent vel intenderent, aut ipsi vel alii pro eo de redditibus vel obventionibus sive juribus regalibus, seu ratione dominii debitis, responderent vel aliquam satisfactionem impendere sub quocunque velamine attemptarent. Alioquin memoratum Petrum et omnes singulares personas, cujuscunque forent preminentie aut status, ecclesiastici vel mundani, etiam si regalis dignitatis honore, excommunicationis, civitates vero castra, villas et loca cetera necnon et universitates ipsorum que predictas inhibitiones vel earum aliquam preterire propria temeritate presumerent, in interdicti sententiis, quas ex tunc protulimus, decrevimus subjacere. Non obstantibus quibuslibet privilegiis vel indulgentiis, quibuscunque imperatoribus, regibus, principibus, archiepiscopis seu quibuslibet prelatis aliis, cisterciensibus, predicatoribus, minoribus, hospitalariis, templariis seu religiosis aliis aut secularibus personis, etiam in dignitate qualibet constitutis, civitatibus, castris, locis, communitatibus, collegiis vel quibusvis universitatibus, sub quacunque verborum forma vel expressione, ab eadem sede concessis, et quibuslibet aliis indulgentiis ejusdem sedis per quas nostri processus effectus impediri posset, quomodolibet vel differri, que quidem omnia privilegia et indulgentias quoad hec omnino duximus juribus vacuanda apertius nichilominus predicentes, quod contra hujusmodi presumptores et specialiter contra dictos prelatos, religiosos, comites, vicecomites, barones, incolas, habitatores, civitates, castra, villas aliave loca et universitates ipsorum ad privandum eos et ea, quibuslibet privilegiis, indulgentiis, immunitatibus sive gratiis, ipsis ab eadem sede concessis, necnon terris, feudis et juribus, que a prefata Romana vel aliis quibuscunque tenerent ecclesiis, seu personis ecclesiasticis et alias, gravius spiritualiter et temporaliter, quando et sicut facti qualitas suaderet, ac putaremus expediens procedere, previa divina gratia curaremus sicut hec omnia et alia que ipsius Petri nequitiam, injustitiam, injurias, contumelias, excessus et dolos apertius detegunt in serie dicte contra eum late sententie plenius continetur. Cumque idem Petrus, nec per hoc a pretactis suis reprimeretur excessibus, nec a sua iniquitate cepta, desisteret, sed ei contumaci animo semper insisteret, ipsam, non solum dolis et solitis insidiis, prosequens, sed et aliis conatibus diversis augmentans, nos, in die Cene Domini, pontificatus nostri anno tertio, presente multitudine copiosa fidelium, ipsum Petrum, ex causis variis, vinculo excommunicationis astrictum, de novo propter sue inique contumacie ac iniquitatis contumacis augmentum, simili vinculo innodantes, omnes processus contra eum habitos et specialiter premissam latam expositionis et privationis sententiam, de ipsorum fratrum consilio, ratificantes expresse ratosque manere decernentes ac firmos, et auctoritate apostolica nichilominus approbantes, premissas omnes et singulas inhibitiones necnon et homagii prestiti sive

facti colligationum, confederationum et conventionum quarumlibet dissolutiones et relaxationem juramenti ac penarum adjectarum in ipsis sub eisdem penis et sententiis duximus innovandos. Et nichilominus manifeste prediximus nos, contra universos et singulos dictis inhibitionibus non parentes, prout circumstantie suaderent, excessuum penis spiritualibus et temporalibus quando et prout fore videremus expediens processuros. Et quia memoratus Petrus nec tantis et talibus remediis ab assumpta compescebatur nequitia, sed eam contumacius prosequens et de sui perversi obstinatione propositi, tam in adductione uxoris et filiorum suorum in insulam Sicilie, quam alias plura et manifestiora exhibebat solitis argumenta, monitionibus, prohibitionibus, preceptis et etiam sententiis apostolicis non absque gravi contemptu clavium vilipensis cotidie in continuatione sue contumacie intumescens, nos, in ultimo preterito festo Ascensionis domini, omnes processus contra rebelles Siculos, eidem Petro qualitercumque in sue iniquitatis pertinatia adherentes [fol. 225v] et contra ipsum Petrum necnon et contra quoslibet alios, occasione ipsorum Petri et Siculorum, habitos, de fratrum eorumdem consilio denuntiantes, ac nichilominus decernentes et statuentes, plenum robur firmitatis habere, ipsum Petrum alias suis exigentibus demeritis diversis excommunicationis sententiis innodatum, tanquam predictarum monitionum ac ceterorum nostrorum processuum et specialiter ratione regni Aragonie aliarumque terrarum quibus idem Petrus privatus extitit, habitorum notorium contemptorem necnon et alios qui eadem contempserunt, denuntiavimus latas ut premittitur contra contemptores inhibitionum et processuum eorumdem sententias incurrisse. Ac nichilominus eundem Petrum de novo precipue propter contumacie tam gravis augmentum simili sententia duximus innodandum, manifestius predicentes, quod contra eum et quoslibet alios, cujuscunque forent preminentie, conditionis aut status, ecclesiastici vel mundani, qui predicta monitiones, prohibitiones sive precepta nostra quomodolibet preterire presumerent, quando et prout facti circumstantie suaderent, et videremus expediens, gravius spiritualiter et temporaliter procedere curaremus. Cumque sepefatus Petrus, licet ab insula Sicilie absens corpore, presens tamen in ea per suos satellites et ministros, solite nequitie prosecutor, monita, precepta, inhibitiones, comminationes factas, penas indictas et sententias, propter suas contumacias et excessus commissos in eadem insula, ceterisque prefati regni Sicilie partibus, necnon et ratione dicti regni Aragonie aliarumque terrarum quibus eum privavimus, latas a nobis, non solum obaudiens, sed etiam non absque gravi et notabili contemptu clavium vilipendens, ad nostra et ecclesie mandata super hoc specialiter monitus et peremptorie citatus jam diutius, contumacia obstinata redire contempneret, prout etiam nunc contempnit, dictique Siculi rei contumacie similis, non solum in cepta pertinacia et obstinatione persisterent, sed quasi continue perversitatibus suis adicerent, ceteras ejusdem regni Sicilie partes clandestinis insidiis et manifestis molestiis impetere presumentes, nos, in festo dedicationis basilice Principis Apostolorum transacto novissime, fidelium multitudine numerosa presente, et omnes et singulos processus predictos tanquam singulariter repetitos ratificantes et approbantes expresse ac manere decernentes de fratrum eorumdem consilio, in pleno robore firmitatis omnes singulares personas et specialiter dictos Petrum et Siculos, qui parere contumaciter eisdem processibus contempserunt, excommunicationis, civitates vero castra et loca cetera necnon et universitates ipsorum denuntiavimus, interdicti latis super hoc sententiis, ac nichilominus propter hujusmodi contumaciam et contemptum, in ipsos et ipsa de novo similes sententias duximus promulgandas. Adversus Siculorum quoque perfidiam, quam lenioribus remediis mollire nequivimus, paulo acerbioribus, ad revocandum eos a suis perversitatibus insistentes, licet cum excommunicatis communicare non liceat, sed id generaliter omnibus juris auctoritas interdicat, quia tamen plus timeri solet quod specialius inhibetur, ex tunc cum eisdem Siculis, tot excommunicationum sententiis innodatis, universis et singulis Christifidelibus, et specialiter duci Venetorum et Venetis, potestatibus, capitaneis, consiliariis Januensis, Pisane, Anconitane, omniumque maritimarum civitatum, castrorum et locorum, necnon et universitatibus eorumdem et singulis de ipsis universitatibus interdiximus commertium omne spontaneum, ita quod ipsis nec ab eisdem Siculis emere aut eis aliquid vendere liceat, vel aliquem cum illis contractum, seu quamcunque obligationem inire, nec scienter ipsos in suis terris seu locis recipere, vel ad dictam insulam sponte accedere sub quocumque colore, seu vasa vel arma, sive quecunque alia illis necessaria seu utilia, mittere vel deferre. Predictis insuper duci, potestatibus, capitaneis et consiliariis districte precepimus ut premissa omnia et singula generali edicto cunctis eorum ditioni subjectis artius inhibere curarent, sub certis penis, per eos ab hiis qui contrarium facerent, exigendis. Et nichilominus universos et singulos cujuscunque forent preminentie,

conditionis aut status, qui contra hujusmodi nostrum interdictum cum Siculis memoratis, qualecunque habere commercium, quive predictum mandatum nostrum contumaciter preterire presumerent, excommunicationis sententiam quam extunc tulimus, incurrere volumus, ipso facto, premissis non obstantibus vel aliquo premissorum. Contra civitates, castra, locave cetera et universitates eorum que secus facerent, ad interdicti sententiam et contra quoslibet hujusmodi presumptores predicentes, nos gravius spiritualiter et temporaliter quando et prout videremus expediens, processuros. Omnes autem qui contra premissa interdictum et mandatum ita facerent, quod ex eorum facto in victualibus, vel aliis oportunis, subventio proveniret Christi fidelibus qui partes incolunt transmarinas, quas ad recuperationem Terre Sancte contra persecutores nominis christiani plurimum expedit conservare, a prefata interdictione commertii sententia et comminationibus adjectis in ea quoad illa que taliter agerent et ipsos predictarum partium incolas similiter propter varias necessitates partium [fol. 226] earumdem prorsus excepimus et esse decrevimus prorsus exceptos. Quamquam igitur premissi nostri processus omnes et singuli ex sua qualitate solita firmitate nitantur, nichilominus tamen, ut evidentius cunctis eorum robur appareat, ipsos de fratrum eorumdem consilio, denuo approbamus, ratificamus, ratos et firmos manere decernimus et obtinere perpetui roboris firmitatem contra contemptores ipsorum et specialiter contra dictos Petrum et Siculos, propter eorum contumaciam et alias et contumatione prolixioris temporis augmentatam de novo similes sententias promulgantes. Manifeste preterea monemus eosdem, et specialiter memoratos Petrum et Siculos aliosque in eadem insula existentes, ut, intra festum Assumptionis beate Virginis primo venturum, quod ipsis pro peremptorio termino assignamus ab hujusmodi contumacia et ceteris pretactis suis excessibus ac perversitatibus, desistentes omnino ad nostra et ecclesie mandata humiliter redeant, nobis, eidem ecclesie ac memorato regi Sicilie de dampnis et injuriis omnique interesse satisfactionem, prout nobis videbitur impensuri plenariam et nostris precise beneplacitis parituri. Alioquin ipsos, similibus sententiis quas ex nunc propterea in eos ferimus, extunc esse decernimus innodatos contra eos gravius spiritualiter et temporaliter processuri prout expedire videbimus et facti qualitas suadebit. Et nichilominus interim ad compescendas perversitates ipsorum et eos ad sinum matris ecclesie reducendos viis, modis atque remediis que dominus ministraverit per nos et alios insistemus. In predicto quoque dedicationis festo novissimo, quia sicut intellexeramus, sepefati Petrus quondam rex Aragonum, archiepiscopi et cetere persone ecclesiastice, comites, vicecomites, barones, incole et habitatores eorumdem regni Aragonie ac terrarum quibus idem Petrus ut premittitur est privatus necnon et civitates, castra, ville locave cetera et universitates ipsorum licet premissas monitiones nostras specialiter ut supra exprimitur eis factas, propria temeritate contempserint, propter quod non est dubium singulares personas, excommunicationis, civitates vero castra et loca eadem necnon et universitates ipsorum, interdicti latas propter hoc sententias, si consonent facta relatibus incurrisse interdictum, tamen hujusmodi non servabant et adhuc ut dicitur non observant, non verentes nervum disrumpere quantum in eis est ecclesiastice discipline aperte prediximus, quod contra eos et specialiter contra memoratos prelatos et alias personas ecclesiasticas taliter proponebamus, divina favente gratia, providere quod hujusmodi eorum temeritas, postquam manifestius constaret, non remaneret aliquatenus impunita, sed ita ultioni debite subjaceret, quod per ipsius vindictam ceteris interdiceretur audacia similia presumendi. Sed quia licet in indaganda circa id plenius veritate non fuerimus otiosi, nondum tamen ad nos super hoc plena certitudo pervenit processum habendum, propterea sustinemus ad presens tanto gravius et durius prout veritas revelata suaserit et expedire viderimus, actore domino, processuri quanto nunc benignius circa id a processu quolibet abstinemus, quantoque interdictum idem non servantium culpa diuturnior et proinde gravior apparebit. Ut autem hujusmodi noster processus ad communem omnium notitiam deducatur, cartas sive membranas processum continentes eundem in majoris ecclesie Urbevetane appendi vel affigi ostiis seu super liminaribus faciemus, que processum ipsum suo quasi sonoro preconio et patulo juditio publicabunt, ita quod idem Petrus et alii quos processus ipse contingit nullam postea possent excusationem pretendere, quod ad eos talis processus non pervenerit, vel quod ignorarint, eundem cum non sit verisimile quoad ipsos incognitum vel occultum quod tam patenter omnibus publicatur. — Actum apud Urbemveterem, in eadem majori ecclesie, in die Cene Domini, pontificatus nostri anno quarto. »

572 Orvieto, 6 avril 1284.

Processus contra Conradum de Antiochia. — (Reg. 41, fol. 226; ann. IV, Cur. n° 3).

Processus contra Conradum de Antiocha.

« *Martinus etc. Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum.* Ad detestabilem ingratitudinem Conradi de Antiochia et ceteros excessus ipsius multotiens repetendos, multiplicata ejus iniquitas nos compellit. Ipse siquidem Ecclesie Romane beneficio a periculo decapitationis, quod sibi propter graves offensas contra ipsam et carissimum in Christo filium nostrum Carolum, Sicilie regem illustrem, commissas ab eo sicut habet ipsius confessio testimonio publice scripture firmata, non sine multa ecclesie ipsius instantia liberatus, eidem ecclesie solempni stipulatione promisit quod in perpetuum esset fidelis et obediens Romanis Pontificibus et eidem ecclesie, nec ullo unquam tempore per se, vel per alium, auxilio vel consilio ipsos aut dictos ecclesiam, regem vel heredes aut terram seu gentem ipsius offenderet publice vel occulte nec unquam procuraret seu tractaret dampnum ipsorum nec adhereret inimicis eorum nec ipsos inimicos seu gentem ipsorum receptaret vel daret eis vel eorum alicui auxilium, consilium vel favorem publicum vel occultum nec eorum vel alicujus ex eis litteras vel nuntium reciperet et si quando ad ejus manus [f° 226v] forsitan perveniret id summo pontifici, ecclesie Romane aut dicto regi vel ipsius heredibus, quamcito posset, commode revelaret. Promisit etiam quod, quandocunque summo pontifici propter aliquod instans periculum videretur et id per se vel per alium eidem Conrado de Antiochia mandaret, ipse Conradus ad ejusdem summi pontificis veniret presentiam, moraturus secundum mandatum ejusdem per ipsum vel per alium faciendum ubi quantum et quomodo summus pontifex ipse vellet. Et nichilominus, ad ipsius summi pontificis mandatum, similiter per se vel per alium faciendum assignaret castrum quod dicitur Sarraciniscu liberum et absque omni impedimento, in manibus pape seu ecclesie Romane vel alteri cui papa seu ecclesia ipsa, per se vel per alium assignari mandaret. Promisit quoque specialiter idem Conradus se curaturum et facturum quod filius suus eo vivente nunquam contra papam, Romanam ecclesiam aut dictum regem vel heredes ipsius, seditionem concitaret vel guerram moveret vel terram eorum occuparet aut operam daret quod ipsi vel eorum alter terram suam vel partem illius procedant seu quod terra ipsorum vel pars ejus ab aliis occupetur. Quod si ullo unquam tempore contra predictos papam, ecclesiam, regem aut heredes ipsius, idem Conradus seu ipso vivente filius ejus seditionem concitaverit, guerram moverit, terram alicujus ipsorum occupaverit vel facientibus hec adheserit seu astiterit vel aliquid aliud contra ipsos commiserit, propter quod vel simile commissum in imperatorem, si imperator ipsius Conradi dominus esset, bona ejusdem Conradi essent publicanda de jure, dictus Conradus promisit, voluit et consensit quod a tota terra sua et ab omni jure quod habebat vel sibi competeret in eadem vel quibuscunque aliis, terris aut juribus caderet eo ipso hujusmodi juribus dictaque terra foret ipso facto privatus et tam terra quam jura ipsa eo ipso essent Romane ecclesie publicata et in ipsius dominium plene transirent eique forent plenarie applicata. In hoc preterea casu dictus Conradus omnes vassallos suos a juramento fidelitatis et omni obligatione quibus sibi vel suis heredibus tenerentur, absolvit et esse voluit absolutos. Et promisit se curaturum et facturum quod iidem vassalli jurarent, quod si contingeret, ipsius Conradi bona ecclesie Romane, ut predicitur, publicari, predicti vassalli eidem Conrado vel heredibus non assisterent vel faverent in aliquo sed devoti obedientes et fideles existerent ecclesie Romane, tam contra ipsum Conradum et heredes ipsius, quam adversus alios universos. Promisit insuper quod si et quando esset super hiis ipse pro parte summi pontificis requisitus, renovaret omnes obligationes que in instrumento confecto de hiis omnibus continetur. Hec autem omnia et singula prefatus Conradus sub excommunicationis et penis aliis omniumque bonorum suorum obligatione sollempni stipulatione promittens, juravit, tactis sacrosanctis evangeliis, ea se inviolabiliter observare nec contra ipsa vel eorum aliquod ullo unquam tempore vel modo venire, constituens se premissa bona sua nomine pape qui pro tempore fuerit et ecclesie Romane tenere ac possidere. Ita quod si forsan dictus Conradus contra predicta veniret vel aliquod predictorum liceat pape per se vel per alium, predicta omnia bona capere, occupare ac retinere et sine omni reclamatione, questione vel lite prefato Conrado et heredibus suis a possessione ac tenuta eorumdem bonorum prorsus amotis, datis nichilominus certis fidejussoribus pro hiis omnibus et singulis inviolabiliter observandis et plenarie adimplendis, prout instrumenti quondam Bassi, camere ipsius ecclesie Romane publici notarii, manu confecti series plenius manifestat. Unde nos instans ex turbatione in Sicilie regno suborta periculum attendentes, tam ex virtute premissarum promissionum et debito prestiti juramenti quam auctoritate apostolica, prefatum Conradum in festo dedicationis basilice Principis Apostolorum, pontificatus nostri anno secundo, monuimus sibique mandavimus ac districte precepimus ut omnes et singulas promissiones predictas tunc singulariter repetitas, diligenter observare curaret et spe-

cialiter ut nobis nostrisque successoribus et eidem ecclesie in perpetuum esset obediens et fidelis et quod nullo unquam tempore per se vel per alium auxilio nos, dictos successores, ecclesiam, regem vel heredes aut terram seu gentem ejus offenderet, publice vel occulte, quodque nunquam procuraret aut tractaret dampnum nostrum, ecclesie, regis vel heredum ipsius et quod nunquam adhereret inimicis nostris dictorum ecclesie, regis aut heredum ejusdem nec eos seu gentem receptaret ipsorum nec exhiberet eisdem vel eorum alicui auxilium, consilium vel favorem publicum vel occultum. Et cum pluries vocatus a nobis ut ad presentiam nostram accederet se, ob infirmitatem proprii corporis qua se gravatum asseruit, excusarit, precepimus sibique mandavimus ut hujusmodi impedimento cessante quavis alia occasione postposita presentialiter ad presentiam nostram veniret [f° 227 juxta] eandem promissionem suam in loco de quo a nobis ordinari contingeret moraturus. Quodque prefatum castrum, quod dicitur Sarraciniscum, liberum absque omni impedimento infra decem dierum spatium postquam existeret requisitus dilecto filio.., abbati monasterii Sublacensis, vel ejus certo nuntio, quem ad hoc specialiter deputavimus, nostro et ecclesie Romane nomine assignaret. Et quod idem Conradus curaret et faceret vassallos jurare prefatos quod si bona ipsius, ut predicitur, publicari contingeret, iidem vassalli dicto Conrado vel heredibus suis nequaquam assisterent vel faverent in aliquo, sed devoti, obedientes et fideles assisterent nobis nostrisque successoribus et Romane ecclesie memorate, tam contra ipsum Conradum et heredes ejus quam contra alios universos. Et quod infra decem dies coram abbate predicto, vel ejus certo nuntio, nostro et ejusdem ecclesie nomine recipienti renovare curaret omnes promissiones et obligationes que in ejusdem instrumenti serie continentur. Quod si dictus Conradus supradictis nostris monitis et mandatis, vel eorum alicui, contumaciter parere contempneret, nos ipsum excommunicationis, terram vero ipsius interdicti sententiis, quas ex tunc protulimus, decrevimus subjacere penasque in prefato instrumento expressas, juxta ipsius instrumenti continentiam prediximus incursurum, quodque tam ad executionem et exactionem penarum ipsarum quam alias gravius contra eum spiritualiter et temporaliter, prout consideratio facti suggereret et videremus expediens, procedere curaremus. Et quia prefatus Conradus contra juramentum predictum ab eo sicut premittitur prestitum temere veniens, non solum hujusmodi nostris monitis et mandatis contumaciter parere contempsit pluries requisitus, verum etiam contra nos, ecclesiam regemque predictos, sicut extunc manifesta perhibebant argumenta et fidedignorum habebat assertio, suos conatus nepharios nisibus quibus poterat exercebat. Nos, in die Cene Domini pontificatus nostri anno tertio, predictos processus contra eum habitos ratos habentes et auctoritate apostolica de fratrum nostrorum consilio approbantes denuntiavimus ipsum dictas penas et excommunicationis sententias incurrisse. Ac nichilominus, propter continuatam et auctam ipsius contumaciam, in eum et dictam terram similes sententias proferentes, universis et singulis comitibus, baronibus et ceteris omnibus, cujuscunque forent preminentie, conditionis aut status ac universitatibus civitatum, castrorum aliorumque locorum districtius inhibere curavimus, ne cum eodem Conrado in hujusmodi pertinacia permanente societatem vel confederationem aliquam contrahere, sub quovis ingenio vel machinatione presumerent aut alias in premissis et specialiter in ejusdem terre defensione vel impugnatione regni Sicilie vel partis ipsius prestare consilium vel favorem publicum vel occultum. Quod si secus presumptum foret omnes singulares persone contrarium presumentes, non obstante qualibet indulgentia sub quacunque forma vel expressione verborum ipsis ab apostolica sede concessa vel imposterum concedenda, quam quoad hoc omnino juribus vacuavimus excommunicationis sententiam quam extunc in illos protulimus incurrere voluimus, ipso facto nichilominus predicentes aperte quod terras ipsorum et universitates, que secus attemptare presumerent, prout expedire videremus, subiceremus ecclesiastico interdicto, ad privationem bonorum omnium que a quibuscunque tenerent ecclesiis ac alias spirituales et temporales penas prout putaremus utile processuri. Societatem vero ac confederationem hujusmodi, etiam si penarum et juramenti adjectione vel quacunque forent alia firmitate vallate, decrevimus irritas et inanes. Omnes quoque ac singulos processus eosdem tanquam nominatim et singulariter repetitos in die Ascensionis domini necnon et in festo dedicationis basilice Principis apostolorum anno predicto, de fratrum nostrorum consilio, ratificantes et approbantes ratos firmosque manere ac plenum robur firmitatis obtinere volentes, in eundem Conradum excommunicationis et in terram quam, ut ex premissis apparet, de facto detinet occupatam, interdicti sententias propter auctam pertinacem ipsius contumaciam nostris monitionibus, inhibitionibus ac preceptis non parendo et a nobis prohibita continuando diutius duximus promulgandas. Quamquam igitur iidem omnes et singuli nostri processus propriis nitantur juribus

nulloque alio amminiculo indigere noscantur, nos tamen, ut apertius firmitas et eorum robur eniteat, illos, de ipsorum fratrum consilio, ratificamus et approbamus ratos et firmos ac in pleno firmitatis robore decernimus permanere dictumque Conradum et terram eandem ac ceteros eorumdem processuum contemptores latis propter hoc in eos declaramus sententiis irretitos. Et preterea in eundem Conradum excommunicationis et in terram predictam taliter ab ipso detentam interdicti propter ejus contumaciam continuatione prolixioris temporis augmentata, de novo sententias promulgamus. Ipsum insuper Conradum et omnes qui premissis nostris processibus parere hactenus contempserunt, hac fidelium multitudine presente, monemus ut ab hujusmodi contumatia et contemptu recedentes omnino et eisdem processibus per omnia [fol. 227v] precise parentes infra dominicam primam ante festum Ascensionis domini primo venturum, quod eis pro peremptorio termino assignamus, ad nostra et ecclesie mandata humiliter redire procurent. Alioquin ipsos excommunicationis sententiam quam exnunc propterea in eos proferimus, extunc incurrere volumus ipso facto contra eos processuri gravius spiritualiter et temporaliter, prout expedire viderimus ac ipsorum excessus et contumatiam promereri. Et nichilominus interim ad compescendam ipsorum malitiam eosque ad sinum matris ecclesie reducendos, viis et modis atque remediis que dominus ministraverit insistemus. Ut autem hujusmodi noster processus etc. *ut in proxima superiori* (1) *usque in finem.* »

573 Orvieto, 18 mai 1284.

Processus contra Petrum, quondam regem Aragonum. — (Reg. 41, fol. 227 v°-228 ; ann. IV, Cur. n° 4 ; POTTHAST, n° 22.141).

Processus habiti in die Ascensionis Domini.

I. « — *Processus contra Petrum regem quondam Aragonum. Martinus etc. Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum.* Infandis crudelitatis horrende principiis, in que Panormitane presumptionis eruptio factiosa prerupit, et que innumeris onusta periculis, non absque factionis inique concinate nequitia, ceterorum Siculorum confestim subsecuta rebellio, et Petri, quondam regis Aragonum cominus revelata insidiosa temeritas, horum, ut fertur, continuatrix occulta et notorie manifesta prosecutrix ostendunt, dudum, obviare volentes, paterna premisimus monita, inhibitiones, mandate et precepta subjecimus. Diversisque aliis processibus additis et contra temere contempnentes eosdem singulares quidem personas, excommunicationis, universitates vero interdicti sententiis promulgatis et comminatoriis penarum edictis, adjectis, venerabilem fratrem nostrum Gerardum, Sabinensem episcopum, cum plene legationis officio ad partes illas duximus destinandum, ut non solum premissorum processuum commonitorio suffragio sed et ipsius cardinalis ministerio sedulo, dicti Panormitani et rebelles ceteri a perversitate averterentur incepta et tam ipsi quam alii, quos eorumdem processuum series contingebat, predictarum sententiarum laqueos et penarum discrimina consultius evitarent. Deinde vero memorati Petri malitia per notabilem ingressum ipsius in insulam Sicilie aliosque suos et suorum inibi detestabiles multiplicatos excessus in publicum prodeunte, monitiones, inhibitiones, mandata, precepta, comminationes generales et speciales et sententias similes, variosque processus alios, tam quoad dictos rebelles, Petrum et suos quam ipsorum occasione, quoad alios universos et singulos, cujuscunque forent preminentie, conditionis aut status, ecclesiastici vel mundani, multiplicare curavimus prout facti qualitas exigebat. Et demum quia ipsum Petrum contumacem, contemptorem horum omnium et inchoate iniquitatis prosecutorem invenimus, pertinacem ad exponendum certo modo regnum Aragonie ac alias eo tempore terras ejus ipsumque sententialiter tam illis quam regio etiam honore privandum juxta premissam super hoc specialiter comminationem, de fratrum nostrorum consilio, ejus contumacia et justitia exigente, processimus prout hec omnia lata super hiis contra ipsum sententia seriose declarat. Et quia nec sic suus dictorumque rebellium furor aversus aut iniquitas est repressa, quin semper ad graviora procederent et idem Petrus pejora prioribus, tam in regno predicto quam extra, contra nos et Romanam ecclesiam, in totius christianitatis prejudicium et non leve dispendium, insidiis dolisque clandestinis et apertis conatibus moliret et contra eos itidem processus iteravimus, varios monita precepta et sententias excommunicationis et interdicti edicta, comminatoria interdictaque similia et alio continentes, prout iidem processus post dictam contra eum latam sententiam subsecuti plenius continent apertiusque testantur. Quia vero sic induratum est insipiens cor eorum, et precipue dicti Petri, ut nec monitionibus pareant, nec comminationibus cedant, nec sententiarum aculeos sentiant, nec jussibus acquiescant, sed, tam ipse quam dicti rebelles, in sua

(1) N° 80, fol. 224 v. Processus contra P.q. regem Aragonum.

obstinata contumacia persistentes, in deteriora cotidie contumaciter dilabantur, nos dictos processus ac omnia et singula contenta in eis tanquam nominatim expressa et singulariter repetita, de fratrum ipsorum consilio, ratificantes et approbantes expresse ipsaque rata et firma manere per omnia et in omnibus decernentes, prefatos Petrum et rebelles ac universos et singulos alios dictorum processuum contemptores denuntiamus, sententias predictas et penas prout uniuscujusque promeruit excessus et qualitas, ipsorumque processuum series indicat incurrisse ac nichilominus propter pretactam eorum contumatiam tanti continuatione temporis augmentatam, de novo in eos similes excommunicationis et interdicti sententias promulgamus, ipsos monentes aperte, ut infra proximum festum sancti Michaelis, quod eis pro peremptorio assignamus termino, ad nostra et ipsius ecclesie mandata humiliter redeant satisfacturi, nostro arbitrio, de memoratis eorum excessibus et nostris precise beneplacitis parituri. Alioquin contra eos universos et [fol. 228] singulos cujuscunque preminentie, conditionis aut status, ecclesiastici vel mundani fuerint, procedemus gravius spiritualiter et temporaliter, prout eorum excessus exegerint et nobis videbitur expedire. Et nichilominus interim ad compescendas perversitates ipsorum et eos ad sinum matris ecclesie reducendos viis et modis atque remediis que dominus ministraverit per nos et alios insistemus. Ut autem hujusmodi noster processus etc. *usque* publicatur. — Actum apud Urbemveterem, in platea ejusdem majoris ecclesie, in festo Ascensionis domini, pontificatus nostri anno quarto. »

574 Orvieto, 18 mai 1284.

Processus contra Conradum de Antiochia. — (Reg. 41, fol. 228 ; ann. IV, Cur. n° 5.)

II. — *Processus contra Conradum de Antiochia.* « *Martinus etc. Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum.* Olim contra Conradum de Antiochia, ingratitudinis filium et beneficiorum immemorem a Romana ecclesia perceptorum, quem ecclesie ipsius benignitas a decapitationis periculo, quod sibi, sicut ejus habet confessio testimonio publice scripture firmata, tunc temporis iminebat, non sine multa instantia liberavit, variis propter hoc promissionibus sollempni stipulatione factis, ipsi ecclesie, sub certis penis et conventionibus, ab eodem propter multiplices et graves excessus ab ipso contra eandem ecclesiam et carissimum in Christo filium nostrum Carolum, regem Sicilie illustrem, contemptis dictis promissionibus, temerarie attemptatos, de fratrum nostrorum consilio, processus varios fecimus, monitiones, inhibitiones, mandata, precepta et latas tam contra ipsum quam contra universos et singulos cujuscunque forent preminentie, conditionis aut status, ecclesiastici vel mundani, contempnentes, eadem singulares videlicet personas excommunicationis universitates vero interdicti sententias et edicta penarum comminatoria continentes. In quibus quidem processibus, dictum Conradum, tanquam manifestum et contumacem contemptorem ipsorum, denuntiavimus, sicut hec et alia plenius in eisdem processibus continentur, et iterum, presente hac multitudine copiosa, de fratrum ipsorum consilio, denuntiamus sententias predictas et penas prout eum juxta eorumdem processum contingunt seriem incurrisse. Licet igitur iidem omnes et singuli nostri processus suis nitantur juribus nec alio amminiculo indigere noscantur,nos tamen processus eosdem quos et alias etiam ratificavimus, approbavimus, ratos, firmos manere decrevimus, adhuc, de ipsorum fratrum consilio, ratificantes et approbantes, expresse ratosque ac firmos et in pleno permanere firmitatis robore decernentes, in predictos Conradum et ceteros eorumdem processuum contemptores, tam singulares personas quam universitates, persistentes adhuc in sua pertinatia et pertinaci contemptu, propter eorum contumaciam, tanti spatio temporis augmentatam, de novo similes excommunicationis et interdicti sententias promulgamus. Et quia, per processus eosdem liquit aperte castrum quod dicitur Sarraciniscu et totam terram que ipsius Conradi erat, promissionum tempore predictarum in ejusdem ecclesie Romane dominium transivisse ac ad eandem ecclesiam totaliter devoluta, prefatum Conradum manifeste monemus eique districte precipimus, ut eadem castrum et terram ipsi ecclesie infra proximum festum beatorum apostolorum Petri et Pauli libere ac absolute dimittat, ab illis recessurus omnino et ad nostra et ejusdem ecclesie mandata rediturus humiliter nostrisque ac ipsius ecclesie beneplacitis pariturus. Alioquin, contra ipsum tanquam occupatorem et illicitum detemptorem bonorum ejusdem ecclesie manifestum, procedemus gravius spiritualiter et temporaliter quando et prout nobis videbitur expedire. Et nichilominus ad compescendas perversitates ipsius Conradi complicumque suorum et eos ad sinum matris ecclesie reducendos viis et modis atque remediis que dominus ministraverit per nos et alios insistemus. Ut autem hujusmodi noster processus, etc. — Actum ut supra. »

575 Orvieto, 21 juin 1284.

Potestatem, capitaneum, consilium et communem Perusinos absolvit et de omni vinculo excommunicationis et interdicti plenarie relaxat. — (Reg. 41, fol. 228 ; ann. IV, Cur. n° 6 ; POTTHAST, n° 22.167, *avec une erreur de date*).

« *Dilectis filiis .. potestati .. capitaneo, consilio et communi Perusinis.* Contigit hactenus quod propter graves et multiplices excessus perpetratos et continuatos diutius per vos contra Fulginates et ecclesias et ecclesiasticas personas et terras ac bona ipsorum nos exigentibus vestris culpis et contumatiis in .. potestatem .. capitaneum consiliarios et ceteras singulares personas vestre civitatis excommunicationis et in civitatem ipsam interdicti sententias promulgavimus et vobis nonnullas penas pecuniarias infliximus ac etiam, inter alia, privavimus vos omnibus privilegiis, indulgentiis, gratia, feudis, bonis, castris, villis, possessionibus, nemoribus, pratis, lacu, juribus, vel jurisdictionibus que a Romana vel aliis tenetis ecclesiis, vel monasteriis, judices quoque, specialiter ac tabelliones, judicatus ac tabellionatus officiis alios insuper singulares civitatis ejusdem omnibus officiis, ita quod in potestates vel capitaneos aut rectores vel ad quodcunque aliud officium vel regimen civitatum, castrorum vel locorum ubilibet non possent assumi et si assumerentur etiam, assumentes essent excommunicationis sententia innodati et quandiu tales preessent civitates, castra et loca predicta que sic ipsos reciperent interdicto ecclesiastico [f° 228v] subjacerent mandata insuper precepta ordinationes et statuta omnesque processus que facerent et sententias quas ferrent ac quicquid penitus in contractibus et obligationibus, sive in quibuscunque aliis actibus, agerent sic assumpti nulla irrita et vacua essent ac nichilominus instrumentis que dicti tabelliones extunc facerent in judiciis vel extra nulla fides foret aliquatenus adhibenda. Preterea mandavimus interdictum hujusmodi per venerabilem fratrem nostrum episcopum et dilectos filios clerum Perusinos tam religiosos quam seculares observari et vobis, nisi dumtaxat baptismum parvulis et penitentiam morientibus, sacramenta ecclesiastica nullatenus ministrari. Et demum, vestris contumatiis excrescentibus, episcopum et clerum eosdem de civitate ipsa exire ad illam sine nostra licentia nullatenus reversuros subcertis modis et formis prout in nostris processibus plenius continetur. Et tandem, vobis ad mandata nostra humiliter redeuntibus, nos, ad vos et dictam civitatem misericordie gratiam convertentes, mandavimus preter alia sub certa forma, interdictum hujusmodi relaxari et singulares personas prefate civitatis et diocesis Perusine a predicta sententia excommunicationis absolvi ac predictis episcopo et clero redeundi ad civitatem eandem ac ibidem que ad suum spectant officium exercendi libere, sicut prius licentiam ad certum tempus fecimus elargiri. Postmodum autem vos nostris beneplacitis per amplioris devotionis studia coaptantes, et pro satisfactione injuriarum et excessuum predictorum in quantum nos et ecclesiam predictam contingunt, per dilectum filium Symonem Guidalotti, concivem et syndicum vestrum, ad hoc speciale ac plenum mandatum habentem, satisfactionem plenariam exhibentes, supplicastis nobis humiliter ut eosdem nostros processus et sententias relaxare ac penas, privationes, condempnationes quas propter premissa incurrisse noscimini, remittere, ac vos ad statum pristinum reducere dignaremur. Nos autem, more pii patris offensarum immemor, ubi ad hoc signis congruentibus invitamur ut in devotione quam ad nos et predictam ecclesiam repromittis, efficiamini promptiores, immo rememorantes potius devotionis constantiam quam erga predictam ecclesiam ab antiquis temporibus viguistis, et dampna plurima et incomoda que pertulisse dicimini constanter in devotione ipsius ecclesie, persistentes vobis paterne benignitatis affectum liberaliter exhibemus. Vestris igitur supplicationibus inclinati, per alias nostras litteras eisdem episcopo et clero morandi libere sicut prius in civitate predicta et ibidem que ad suum spectat officium exercendi licentiam elargimur, et prefatas sententias ac predictos et omnes alios processus nostros tam spirituales quam temporales in premissis hac occasione habitos, quatenus vos civitatem, diocesim, districtum, territorium et jurisdictionem vestra contingunt, necnon privationes, penas, condempnationes quod vos et alios qui eorumdem diocesis, districtus, territorii et jurisdictionis existunt, auctoritate apostolica, ex certa scientia, totaliter remittimus ac etiam relaxamus. Et a predictis sententiis, penis, privationibus et condempnationibus vos, ac alios eorumdem diocesis, districtus, territorii et jurisdictionis, nichilominus absolventes, vos et civitatem vestram, ad predicta privilegia et ad pristinum statum apostolici favoris et gratie, quo eratis ante hujusmodi discordiam, inter vos et Fulginates predictos, judices quoque ac notarios et alios singulares predictos ad reintegrationem sui status, restituimus, de apostolice plenitudine potestatis. Per hujusmodi autem remissionem, relaxationem, absolutionem et restitutionem, non intendimus juribus memorate ecclesie quecunque alias in predictis et predictorum quolibet haberet in aliquo

derogare, nec predictis Fulginatibus, ecclesiis et ecclesiasticis personis, ac aliis dampna passis per predictas absolutionem et remissionem aliquod prejudicium generari,quominus super dampnis ipsis per vos et de mandato vestro illatis, teneamini plenarie stare juri. — Dat. apud Urbemveterem, XI kal. julii, anno quarto. »

In e. m. Dilecto filio fratri Angelo de Perusio, ordinis fratrum minorum. Contigit etc. ut in proxima superiori, verbis competenter mutatis usque stare juri. Ut igitur saluti cujuslibet predictorum per providentiam dicte sedis plenius consulatur, ita quod nulli ex predictis expertes gratia mansuetudinis nostre remaneant, per apostolica tibi scripta, mandamus quatenus illis de civitate, diocesi, districtu et territorio predictis, quos predicta excommunicationis sententia ligatos et ab ea nondum absolutos inveneris, cum ab eis et eorum quolibet fueris humiliter requisitus, hac vice juxta formam ecclesie, per te vel alium seu alios, beneficium absolutionis impendas, rescripturus nobis fideliter quicquid in hac parte duxeris faciendum. Non obstante indulgentia per quam fratribus tui ordinis dicitur esse concessum a sede apostolica, quod non teneantur se intromittere de quibuscunque negotiis que sibi per ipsius sedis litteras committuntur, nisi in eis de indulgentia hujusmodi plena et expressa mentio habeatur. — Dat. ut supra.

576 Orvieto, 7 mai 1284.

Johanni, tituli sanctae Ceciliae presbitero cardinali, mandat quatinus illi apud Philippum, regem Franciae, et in Franciae, Navarrae, Aragoniae, Valentiae ac Majoricarum regnis, necnon Lugdunensi, Bisuntina, Viennensi, Tarentasiensi et Ebredunensi provinciis et in Leodiensibus, Metensibus, Virdunensibus et Tullensibus civitatibus et diocesibus, plenae legationis officium committit. — (Reg. 41, fol. 229 ; ann. IV, Cur. N° 7).

« *Dilecto filio Johanni tituli sancte Cecilie presbitero cardinali, apostolice sedis legato.* Subit assidue nostre mentis archanum sollicitudine plena et anxietate non vacua consideratio illa terribilis qua nos ad illius domus custodiam deputatos advertimus cujus magnitudinem cum stupore propheta miratur : O, inquiens, Israhel, quam magna est domus Dei ! Cumque in ejusdem considerationis examine residentes, opus extimamus invictum nostrarum metimur virium quantitatem non sufficientes, virtutum sumptus dispungimus et merita comperamus, stupentes attendimus quod supra vires nostras est nobis iminere negotium, quodque soli, proculdubio, portare nequimus. Sed superest nobis spes in solo auxilio divino reposita, ad quod humiliter recurrentes, devotius imploramus ut ille qui nobis universum mundum custodiendum credidit illum studiose ac utiliter custodire concedat. Subest etiam Jetro, Moysi cognati, consilium illum consultius ammonentis, ut ex omni plebe viros potentes et Deum timentes, in quibus sit veritas et avaritiam oderint, eligat, ipsosque constituat ad populum judicandum ut sic impleri omnipotentis imperium ac ipsius possint substentari precepta et ad loca sua, cum pace, populus reducatur. Hujusmodi sane consilio et nos sedulo commonemur, ut cum simus commisse nobis custodie universis Christi fidelibus debitores et ad debitum exolvendum hujusmodi, per nos ipsos circuire nequeamus, singulas regiones fratribus nostris sancte Romane Ecclesie cardinalibus, viris electis ex milibus viris, scientia preditis et virtute, in quibus timor domini sanctus manet, nonnunquam regna, nonnunquam provintias aliquas, decernamus eos in illis constituendo legatos, ut ipsis partes nostre sollicitudinis prudenter exequentibus et iminentia inibi salubriter dirigentibus, in eisdem portantibus onere partito sit levius injunctumque nobis ministerium per nos et ipsos commodius et utilius impleatur. Negotio itaque quod ecclesie, immo verius toti christianitati, ad defensionem precipue catholice fidei ac etiam Terre Sancte, contra Petrum, quondam regem Aragonum, iminet, quodque carissimus in Christo filius noster Philippus rex Francie illustris ad earumdem fidei et Terre discrimina propulsanda tanquam princeps christianissimus et antique devotionis sui generis, sedulus prosecutor assumpsit, aliisque magnis et arduis instanter urgentibus, nos de te, cujus animam sicut adipe et pinguedine adeo replevit altissimus ut vigeat in te rectitudo judicii, consilii providentia rigiditasque censure, in zelo sobrietas, in agendo strenuitas et experientia in arduis approbata, sperantes in Domino quod ipso actus tuos dirigente, qui novit ac prava indirecta et aspera in vias planas convertente, qui potest premissa taliter suo consilio et auxilio dirigentur, quod ex tuis laboribus, Deo auspice, fructus producentur optati, personam tuam ad illorum directionem deliberavimus deputandam. Ideoque circumspectioni tue in Frantie, Navarre, Aragonie, Valentie ac Majoricarum regnis, necnon Lugdunensi, Bisuntina, Viennensi, Tarentasiensi et Ebredunensi provintiis, in ea videlicet parte ipsius Ebredunensis provintie que sita est extra Provintie ac Folcalkerii comitatus, et in Leodiensibus, Metensibus, Virdunensibus et Tullensibus civitatibus et diocesibus, de fratrum ipsorum consilio, committimus plene legationis officium, ut evellas et destruas, dissipes et disperdas, edifices et plantes, prout gratie celestis infusio et tua tibi prudentia ministrabit. Quocirca, discretionem tuam monemus, rogamus et hortamur attente per apostolica tibi scripta man-

dantes quatinus impositum tibi onus laboris hujusmodi devote suscipiens, illud sic sollicite, sic viriliter et laudabiliter exequi studeas, quod, divina favente clementia, tuos labores et studium desideratus comendet effectus, tuque proinde retributionis eterne premium et laudis preconium merearis. Nos enim, sententias quas tuleris in rebelles ratas habebimus et faciemus, actore domino, inviolabiliter observari. — Dat. apud Urbemveterem, III nonas maii, anno quarto. »

In e. m. Venerabilibus fratribus .. universis archiepiscopis et episcopis per Frantie, Navarre, Aragonie, Valentie ac Majoricarum regna, necnon Bisuntino, Viennensi, Tarentasiensi et Ebredunensi archiepiscopis et episcopo Eduensi, administrationem gerenti ecclesie Lugdunensis, ecclesia ipsa vacante, ac suffraganeis archiepiscoporum et Lugdunensis ecclesie predictorum, necnon Leodiensi et Tullensi episcopis et dilectis filiis .. Metensi ac ceteris electis et capitulo Virdunensi ac abbatibus, prioribus, decanis archidiaconis, prepositis, archipresbiteris et aliis ecclesiarum prelatis, capitulis, conventibus et collegiis Cisterciensis et Premonstratensis, Cluniacensis, sancti Benedicti, sancti Augustini, Cartusiensis, Grandimontensis et aliorum ordinum, necnon prioribus hospitalis sancti Johannis [f° 229v] Jerosolimitani, domorum militie Templi et beate Marie Theotonicorum preceptoribus, ceterisque omnibus personis ecclesiasticis, secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, per regna predicta, necnon Lugdunensem, Bisuntinam, Viennensem, Tarentasiensem et Ebredunensem provintie que sita est extra Provincie ac Folkalkerii comitatus, et per Leodienses, Metenses, Virdunenses, et Tullenses civitates et dioceseos constitutis. Subit assidue etc. ut in proxima superiori, verbis competenter mutatis, usque : civitatibus et diocesibus plene legationis officium, ut evellat et destruat, dissipet et disperdat, edificet et plantet, prout gratie celestis infusio et sua sibi prudentia ministrabit, de fratrum ipsorum consilio, committentes. Quocirca universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus cardinalem eundem quem sue probitatis obtentu inter alios fratres nostros specialis dilectionis brachiis amplexamur, immo potius nos, in ipso benigne recipientes et tractantes, honore condigno eidem tanquam apostolice sedis legato intendatis humiliter et devote ipsius monita et precepta et que vobis ex parte nostra mandaverit, efficaciter adimplendo. Alioquin sententias quas tulerit in rebelles ratas habebimus et faciemus, actore domine, inviolabiliter observari. — Dat. ut supra.

577 Pérouse, 18 novembre 1284.

Processus habitos contra Petrum, quondam regem Aragonum, innovat et approbat. — (Reg. 41, fol. 229 v°; ann. IV, Cur. n° 8).

Processus habiti in die dedicationis basilice principis apostolorum.

« *Processus contra Petrum quondam regem Aragonum. Martinus episcopus servus servorum Dei. Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum.* De factiose turbationis in Sicilie insula commote perfidia, cui Panormitanorum (*ut in superiori processu, n°* 571, *verbis competenter mutatis, usque* : multiplicare curavimus). — Inter cetera districtius inhibentes ne dictus Petrus, tunc rex Aragonum, se regem Siciliae nominaret, regium sub intitulatione regni Sicilie sigillum assumeret, vel uteretur assumpto, neque privilegia, immunitates, feuda, donationes, bona vel jura quecunque in eo, aut aliqua ejus parte, concederet, vel tanquam rex Sicilie quicquam agere attemptaret neque dominium vel subjectionem aliquam in quascunque singulares personas aut terras ipsarum seu potestariam vel quamlibet rectoriam sive officium, quocunque nomine censerentur in civitate, vel quovis alio loco, maxime ipsius regni Sicilie, aut alicujus partis Italie, in nostrum, ecclesie aut ejusdem regis Sicilie quomodocunque vel qualecunque gravamen, per se vel per alium, reciperet vel etiam acceptaret. Aut, cum eis vel eorum aliquo in ipsorum ecclesie, vel regis, gravamen sicut predicitur societatem seu aliam confederationem contraheret vel servaret, qualitercunque contractam neque singulares persone premisse, vel alie undecunque civitates vel alia loca eidem in ecclesie ac regis Caroli predictorum persecutione hujusmodi [fol. 230] persistenti, vel alii pro eo seu in favorem ipsius, premissa concederent vel aliquid premissorum, aut ipsum, aut alium pro eodem, vel in favorem illius, ad predicta vel aliquod eorum eligerent, nominarent, reciperent vel assumerent quoquomodo. Nec ipse Petrus, vel quivis alius, singulares personas, civitates et loca eadem vel universitates ipsorum, specialiter autem cujuscunque partis regni Sicilie ut se vel terras suas ejusdem Petri dominio vel obedientie cuicunque supponerent aut eum, vel alium pro eo, seu in favorem ipsius, in potestatem, rectorem vel ad aliud quodcunque officium, ut predicitur, eligere, nominare vel admittere attemptarent, sive cum eo societatem aliquam vel confederationem contraheret aut societatem aliquam vel confederationem contraheret aut observaret qualitercunque contractam, seu quod cives, incole, habitatores, civitates vel alia loca predicta, sive universitates eorum, presertim cujuscunque partis ejusdem regni Sicilie, a nostra, ecclesie ac regis Caroli predictorum fidelitate seu devotione, quocunque modo averterentur, vel aversa etiam in hujusmodi aversione persisterent, per se, nuntium vel litteras inducere, aut donis, promissionibus seu alio quovis modo allicere, seu sollicitare presumeret, neve singulares persone, civitates, castra, ville seu loca prefata, se, dicti Petri, hujusmodi ecclesie

ac ipsius regis Caroli persecutioni quomodolibet insistentis, dominio, regimini vel obedientie qualitercunque subicerent, sive in nostrum, ecclesie, seu regis Sicilie predictorum, prejudicium vel gravamen, ut predicitur, ipsum Petrum litteras vel nuntios suos, vasa quevis apta, cuicunque navigio gentemve reciperent, vel receptarent aut accederent ad eundem, ipsive litteras mitterent, aut sibi genti vel nuntiis suis seu alii pro eis maxime in aliqua parte ipsius regni Sicilie, obedirent vel intenderent, ministrarent, fodrum, equos, arma vel vasa hujusmodi, sub venditionis titulo, aut aliter, quomodocunque ducerent, concedenda seu ab eodem Petro vel alio pro ipso immunitates feuda, vel largitiones quaslibet in eodem regno Sicilie quas constabat, et nos nichilominus declaravimus et adhuc declaramus, decrevimus et adhuc decernimus non tenere, vel alibi occasione instantis negotii regni Sicilie aut stipendia ubicunque contra nos, ecclesiam, vel regem Carolum supradictos reciperent, vel pro receptis promissum auderent servitium exhibere, aut alias prestare, consilium vel favorem publicum, vel occultum, nec cum ipso Petro, vel alio pro ipso seu in favorem ipsius, societatem, colligationem vel conventionem quascunque in nostrum, ecclesie, aut regis Caroli, dispendium qualecunque contraherent, aut contractas etiam sub vinculo juramenti, vel quarumlibet adjectione penarum, sive pactorum auderent quomodolibet observare. Omnes quoque predictorum processuum contemptores et specialiter dictum Petrum tunc regem Aragonum sub certa forma expresse monuimus ut infra certa tempora, que ipsis pro peremptoriis terminis assignanda duximus, a pretactis suis excessibus desistentes, omnino ad nostra et ecclesie mandata redirent, comminationibus variis contra eos et precipue contra dictum Petrum, de privando eum regno Aragonum aliisque illo tempore terris suis, seu regno, et terris eisdem prout videremus expediens exponendis necnon et aliis quibusdam, que facti consideratio suasit, adjectis. (*Ut in superiori processu n°* 571, *verbis competenter mutatis, a* : et quia ipsum Petrum, *usque* : decrevimus innodatos). Nonnullis in processu predicta die habito comminationibus adjectis et aliis que facti circumstantie suaserunt et in ejusdem processus serie plenius continetur. Et demum, quia maxime ipsius Petri ac rebellium Siculorum ceterorumque in hoc ipsorum fautorum et complicum, cor insipiens sic comperimus induratum ut nec parerent monitionibus, nec comminationibus cederent, nec sententiarum sentirent aculeos, nec jussibus obedirent, sed memorati, precipue Petrus et Siculi, in sua pertinatia obdurati cotidie in deteriora contumaciter laberentur, nos in novissimo festo Ascensionis dominice, in platea majoris ecclesie Urbevetane grandi multitudine presente fidelium premissis processibus omnibusque ac singulis contentis in eis tanquam nominatim expressis et singulariter repetitis, ratificatis et approbatis expresse ratisque et firmis, per omnia et in omnibus manere decretis, memoratos Petrum et Siculos ceterosque omnes et singulos dictorum processuum contemptores denuntiavimus et denunctiamus, dictas sententias et penas, prout excessus et qualitas uniuscujusque promeruit, ipsorumque processuum series indicat incurrisse, ac nichilominus propter predictam contumatiam eorumdem tanti continuatione temporis augmentatam, denuo in eos similes excommunicationis et interdicti sententias duximus promulgandas, apertius monentes eosdem, ut infra sancti Michaelis festum transactum novissime, quod eis pro peremptorio assignavimus termino, ad nostra et ipsius ecclesie humiliter mandata redirent satisfacturi, nostro arbitrio, de memoratis ipsorum excessibus et nostris precise beneplacitis parituri, et manifestius predicentes quod nisi hujusmodi nostre monitioni parere contra eos universos et singulos, cujuscunque preminentie, conditionis aut status ecclesiastici vel mundani existerent, procederemus gravius, spiritualiter et temporaliter, prout eorum excessus exigerent et nobis expediens videretur. Nec eo minus interim ad compescendas perversitates eorum et ipsos ad sinum matris ecclesie reducendos viis et modis atque remediis que ministraret altissimus per nos et alios insistere curaremus. Cum autem idem Petrus et Siculi ceterique contemptores processuum eorumdem in sua obdurati malitia nostras monitiones contumaciter contempnendo, nec a perversitatibus desistere solitis, nec ad nostra et ecclesie mandata in predicto termino vel postmodum redire curarint, nos omnes processus contra eos habitos licet viribus propriis et frequenti nostra ratificatione ac approbatione nitentes, denuo, presente hac multitudine copiosa fidelium, de ipsorum fratrum consilio, ratificantes et approbantes expresse, ratosque ac firmos et in pleno manere firmitatis robore decernentes, in memoratos Petrum Siculos ceterosque tam singulares quam universitates qui eisdem processibus contumaci animo non parentes in consueta obstinatione persistunt, propter hujusmodi eorum contumaciam iterato similes excommunicationis et interdicti sententias promulgamus. Et licet eorum nequaquam obstinatam pertinatiam ingrueremus quia tamen ex desiderio quo pie ad omnium salutem afficimur eorum a tante perditionis invio conversionem appetimus, et

ut ad salutis semitas redeant sinceris affectibus suspiramus consulta deliberatione decrevimus a ceptis monitionibus nullatenus desistendum. Et ideo ipsos, et specialiter dictos Petrum et Siculos, in ejusdem presentis multitudinis conspectu, monemus ut infra kalendas instantis mensis martii quas eis omnibus et singulis pro peremptorio termino assignamus ad nostra et ecclesie [fol. 232] mandata humiliter redeant nostris et ipsius ecclesie beneplacitis pareant et de suis excessibus, injuriis et dampnis nobis, eidem ecclesie, necnon et carissimo in Christo filio nostro Carolo illustri regi Sicilie pro nostro et ejusdem ecclesie arbitrio satisfactionem impendant. Alioquin, contra eos universos et singulos, spiritualiter et temporaliter curabimus procedere gravius prout facti suaserit qualitas et viderimus expedire. Non intendentes per hoc debite sollicitudini metas imponere, ut medio tempore nostrum officium conquiescat quo minus modis ac viis atque remediis quibus ad eorum injurias propulsandas et compescendam castigandamque nequitiam utendum viderimus insistamus. Ut autem hujusmodi noster processus ad communem omnium notitiam deducatur, cartas sive membranas processum continentes eundem in hujusmodi majoris ecclesie Perusine appendi vel affigi hostiis seu superliminaribus faciemus, que processum ipsum suo quasi sonoro preconio et patulo indicio publicabunt. Ita quod iidem Petrus, Siculi et alii quos processus ipse contingit, nullam postea possint excusationem pretendere quod ad eos talis processus non pervenerit vel quod ignorarint eundem, cum non sit verisimile remanere quoad ipsos incognitum vel occultum quod tam patenter omnibus publicatur. — Actum Perusii, in majori ecclesia Perusina, in festo Dedicationis basilice Principis apostolorum, pontificatus nostri anno quarto. »

578 Pérouse, 18 novembre 1284.

Processus habitos contra Conradum de Antiochia, innovat et approbat. — (Reg. 41, fol. 232 ; ann. IV, cur. n° 9.)

Processus contra Conradum de Antiochia.

Martinusetc. Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum. Exigunt Conradi de Antiochia contra Romanam ecclesiam ingratitudo notoria et contumatia continuata diutius ac per grandes adversus eam multiplicatos excessus aggravata et augmentata perfidia contra ipsum ejus consideratis demeritis augmentari prout subscripta veritas declarabit. (*Ut in superiori processu, n° 572, verbis competenter mutatis, usque* : et contumatiam promereri). — Et aliis prout in serie processus eodem die habiti plenius continetur. Et deinde, dicto Conrado in sua non solum persistente contumacia, sed et conceptam nequitiam apertius revelante, nos, in festo Ascensionis dominice proximo preterito, in platea majoris ecclesie Urbevetane, in presentia multitudinis copiose fidelium inibi congregate, de ipsorum fratrum consilio eum iterato denuntiavimus, et adhuc denunt~~iamus~~, sententias predictas et penas prout ipsum juxta premissorum processuum contingunt seriem incurrisse. Processibus quoque ipsis, de fratrum consilio predictorum, denuo approbatis et ratificatis expresse ratisque ac firmis et in pleno firmitatis robore manere, decretis in prefatos Conradum et ceteros eorumdem processuum contemptores, tam singulares personas quam universitates, in sua persistentes contumacia et pertinaci contemptu propter eorum contumaciam tanti spatio temporis augmentatam, iterum similes excommunicationis et interdicti sententias duximus promulgandas. Et quoniam per processus eosdem apertius apparebat predictum castrum quod dicitur Sarraciniscu et totam terram que ipsius Conradi fuerat promissionum tempore predictarum, in ejusdem ecclesie Romane dominium transivisse ac ad eandem ecclesiam totaliter devoluta, memoratum Conradum manifeste monuimus, eique districte precepimus ut eadem castrum et terram ipsi ecclesie infra festum beatorum apostolorum Petri et Pauli tunc proximo secuturum, nuperque transactum, libere ac absolute dimitteret ab illis recessurus omnino et ad nostra et ecclesie predicte mandata rediturus humiliter, nostrisque ac ipsius ecclesie beneplacitis pariturus, alioquin contra eum tanquam manifestum occupatorem et illicitum detentorem bonorum ecclesie prelibate, procederemus gravius spiritualiter et temporaliter quando et prout nobis expediens videretur apertius predicentes quod ad compescendas perversitates ipsius Conradi complicumque suorum et eos ad matris ecclesie gremium reducendos viis et modis atque remediis que ministraret omnipotens per nos et alios insistere curaremus. Verum idem Conradus non solum velut aspis surda monita et precepta hujusmodi auribus obturatis obaudiens sed pertinacia affirmata contempnens ad deteriora semper sue nequitie conatus extendit. Nuper enim cum proditoribus dicti regis de Sicilie regno exulantibus exigentibus culpis suis et aliis caterva quadam militum et peditum congregata diversis vicibus ejusdem regni loca invadere insidiose presumpsit et temerarie occupare temptavit. Ab illis tamen per devotos regis ejusdem

totiens non absque gravi et dampnosa confusione repulsus, quotiens ad hec in actum sue iniquitatis molimina proruperunt [fol. 233v] licet propterea non minorem culpam contraxerit etsi debita malitie sue stipendia jam pro parte aliqua reportaret. Nos itaque contra ipsius tam contumacem proterviam, protervamque contumaciam debitum justitie prosequentes et hac fidelium multitudine numerosa presente, omnes et singulos processus contra eum suosque in hac parte complices et fautores habitos, de fratrum ipsorum consilio, approbantes, ratificantes, ratos et firmos manere per omnia decernentes, in ipso de novo similes sententias, eorum exigente contumacia, promulgamus. Et nichilominus, eos et specialiter dictum Conradum, aperte monemus ut infra kalendas instantis mensis martii quas eis pro peremptorio termino assignamus et ad nostra et ecclesie mandata humiliter redeant super predictis nostris precise beneplacitis parituri et satisfactionem pro nostro arbitrio impensuri, alioquin ex tunc contra eos gravius spiritualiter et temporaliter procedere curabimus, prout consideratis facti circumstantiis videbimus expedire. Nec propterea interim a viis, modis et remediis desistemus per que Conradi ceterorumque predictorum propulsentur injurie, compescatur et castigetur iniquitas et ipsi ad sue salutis seminas et matris ecclesie gremium. Ut autem hujusmodi noster processus ad communem omnium notitiam deducatur cartas sive membranas processum continentes eundem in hujusmodi majoris ecclesie Perusine appendi vel affigi hostiis seu superliminaribus faciemus, que processum ipsum suo quasi sonoro preconio et patulo indicio publicabunt. Ita quod iidem Conradus et alii quos processus ipse contingit nullam postea possint excusationem pretendere, quod ad eos talis processus non pervenerit, vel quod ignorarint eundem, cum non sit verisimile remanere quoad ipsos incognitum vel occultum quod tam patenter omnibus publicatur. — Actum Perusii, in majori ecclesia Perusina, in festo dedicationis basilice Principis Apostolorum, pontificatus nostri anno quarto. »

579 Orvieto, 22 juin 1284.

Fridolo, tunc Ovetensi episcopo, ad Anitiensem ecclesiam translato, per hanc translationem illam Ovetensem ecclesiam vacuam sibi reservat et districtius aliquam electionem de ista facturam inhibet. — (Reg. 41, fol. 233 v°; ann. IV, Cur. n° 10).

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Iminente nobis ecclesiarum sollicitudine generali, circa illas potissime nos adhibere convenit salutaris providentie studium quas interdum carere conspicimus suorum regimine prelatorum, ne forsitan eis per impressionem vel alios temerarios ausus preponi contingat aliquos ingressum ad illas canonicum non habentes, sed assumantur ad ipsarum custodiam annuente domino pastores ydonei qui tanto congruant oneri et honori. Nuper siquidem venerabilem fratrem nostrum Fridolum Anitiensem, tunc Ovetensem episcopum, a vinculo quo tenebatur Ovetensi ecclesie absolventes, ac ipsum, de eadem Ovetensi, ad Anitiensem ecclesiam tunc vacantem et in dispositione sedis apostolice consistentem, auctoritate apostolica, de fratrum nostrorum consilio, transferentes et ad eandem Ovetensem ecclesiam sic vacantem ad presens, hujusmodi considerationem habentes, paterno quoque desiderantes affectu de sponso legitimo et ydoneo, Deo propitio, eidem Ovetensi ecclesie provideri, ut per hoc a dispendiis eadem Ovetensis preservetur ecclesia et ejus statui prospere consulatur, provisionem ipsius Ovetensis ecclesie hac vice dispositioni et ordinationi nostre, de apostolice potestatis plenitudine, duximus reservandam, districtius inhibentes ne capitulum ejusdem Ovetensis ecclesie, seu quicunque alii ad aliquam electionem, postulationem seu provisionem aliam de preficiendo sibi et eidem ecclesie Ovetensi episcopo vel pastore quoquomodo procedant. Decernimus quoque nichilominus ex nunc irritum et inane quicquid super hiis vel eorum aliquo contra hujusmodi reservationem et inhibitionem nostras, per eos et quemlibet alios scienter vel ignoranter hac vice extiterit attemptatum. Nulli ergo etc. nostre reservationis inhibitionis et constitutionis etc. — Dat. apud Urbemveterem, XI kal. julii, pontificatus nostri anno quarto. »

580 Orvieto, 5 mai 1284.

Carolo, filio Philippi Francorum regis, regnum Aragoniae Petro quondam regi sublatum confert. (Reg. 41, fol. 234; ann. IV, Cur. n° 11; POTTHAST, n° 22.132)

Collatio regni Aragonie.

« *Martinus etc. Carissimo in Christo filio Carolo regi Aragonum illustri, nato carissimi in Christo filii nostri Phylippi regis Francie illustris, salutem et apostolicam benedictionem.* Dudum propter injustitias, injurias, contumelias dolosque diversos a Petro quondam rege Aragonum circa occupationem insule Sicilie, variosque conatus et insidias ad alias partes regni Sicilie occupandas, seditionem in eadem insula motam, com-

motionem et concitationem populi factam inibi adversus nos, rem publicam et ecclesiam, contra nos et eandem ecclesiam, quibus dictus Petrus, ratione regni Aragonie ipsi ecclesie a clare memorie Petro avo ipsius Petri oblati et censualis tam ab illo quam ab aliis ejus predecessoribus constituti, ad fidelitatis debitum tenebatur, necnon et carissimum in Christo filium nostrum Carolum illustrem regem Sicilie non sine multa temeritate commissos, post varias monitiones, prohibitiones ac sententiarum excommunicationis et interdicti prolationes, penarum indictiones et comminationes expressas, de dicti regni Aragonie ac terrarum tunc ipsius Petri expositione ac privationes factas et precepta diversa quorum omnium idem Petrus se contumacem exhibuit contemptorem, regnum Aragonie terrasque predicta, certo modo de fratrum nostrorum consilio exponentes, ipsum Petrum tunc regem Aragonum regno et terris eisdem regioque honore sententialiter, justitia exigente, privavimus et privantes exposuimus regnum et terras eadem occupanda catholicis de quibus et prout sedes apostolica duceret providendeum, quoad ipsa regnum et terras Romane semper ecclesie jure salvo sicut hec omnia lata per nos, de ipsorum fratrum consilio, super hujusmodi privationem, expositionem ac occupationem sententia seriose declarat. Et quia ubi non est gubernator populus corruit, ne ipsorum Aragonie regni et terrarum populus factus absque gubernatore diutius vergeret in ruinam, dictam provisionem sedi reservatam eidem deliberavimus exequendam. Et ideo ad clarissimum genus tuum, illibatam ejusdem generis fidem ad Deum devotionem ad ipsam et eandem ecclesiam indefessam fervidum zelum ad exaltationem fidei orthodoxe, cujus idem genus contra hostes ipsius fidei semper extitit singularis athleta, et ingentem illius potentiam in obsequiis earumdem fidei ecclesie feliciter temporibus retroactis expertam considerationis sollicite oculos convertentes, ad executionem provisionis ipsius aliquem de ipso genere sub Dei fiducia quem semper ejusdem generis clara progenies et regnum Francie inclitum firmissime credidit, devotissime honoravit et coluit, de fratrum eorumdem consilio, deliberavimus eligendum. In electione vero hujusmodi aliquem de carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris patris tui filiis preferendum multiplex ratio persuasit. Ideoque dilectum filium nostrum Joannem, tituti sancte Cecilie presbiterum cardinalem, ad hoc ministrum ydoneum de fratrum eorumdem consilio assumentes, ad occupandum idem Aragonie regnum et comitatum Barchinonie, qui est de terris expositis que olim fuerant dicti Petri, de illo ex ejusdem regis Francie filiis quem ad hoc ipse rex, alio tamen ab eo qui sibi est in dicto regno Francie successurus, sub certis lege, conventionibus et pactis expressis in litteris nostris super hoc cardinali directis eidem, ab ipso rege Francie ac eodem filio ad id electo per eum sollempniter promittendis, ut eorum quemque contingerent et inviolabiliter observandis per dictum cardinalem auctoritate apostolica, quam in hac parte plene sibi commisimus de ipsorum fratrum consilio, voluimus provideri et ipsum ad id faciendum singulariter deputari statuentes et decernentes quod postquam ipsi rex Francie et filius suus ad hoc electus ab illo et a prefato cardinali, ut predicitur, deputatus, eadem legem, conventiones et pacta expresse acceptarent et promitterent contenta in eis se inviolabiliter servaturos, dictusque cardinalis ipsum ejusdem regis Francie filium ad id deputaret, idem filius in prefato regno Aragonie nomen et titulum regium in comitatu quoque predicto dignitatem omnem quam dictus Petrus, quondam rex Aragonum in illis obtinuit, sortiretur et tam per se quam per alios eadem regnum et comitatum libere occuparet et faceret suo nomine occupari, eaque tam ipsi quam sui perpetuo successores in illis certo ad illa ordine contento in eisdem litteris admittendi absque contradictione aliqua possiderent et in ipsis tanquam veri reges, comites et domini administrarent legitime plene in eis jus regis, comitis et domini habituri in Tarraconensi civitate, ipsius territorio, districtibus et pertinentiis, sepefate Romane et Tarraconensis ecclesiarum per omnia jure salvo. Dictus autem cardinalis hujusmodi negotium juxta formam sibi a nobis traditam exequens diligenter, auctoritate apostolica eidem in hac parte commissa, de te quem prefatus rex Francie pater tuus nominavit ad id ac elegit sub lege conventionibus atque pactis predictis juxta quasdam moderationes, declarationes et detractiones super hoc per alias litteras nostras quarum tenor inferius annotatur, adhibitas tam a te quam a prefato rege Francie [fol. 234v] patre tuo, sollempniter juxta quod eidem cardinali facta commissio exigebat promissis prout quemque vestrum contingunt ad occupandum regnum Aragonie ac comitatum Barchinonie predicta providit, teque ad id faciendum singulariter deputavit in Tarraconensi civitate ipsius territorio, districtibus et pertinentiis memoratis, dictarum Romane ac Tarraconensis ecclesiarum per omnia jure salvo. Tu vero, hujusmodi provisionem et deputationem taliter ab eodem cardinali factas, predicto rege Francie genitore tuo approbante ac in hiis expresse consentiente, acceptasti et etiam recepisti, prout in litteris inde confectis ipsius cardi-

nalis sigillo munitis plenius continetur. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, que in premissis ab eodem cardinali taliter facta sunt rata et grata habentes illa ex certa scientia, de ipsorum fratrum nostrorum consilio, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus defectum si quis in eis vel eorum aliquo ex quacunque causa extitit supplentes de plenitudine potestatis et tenores litterarum ipsius cardinalis necnon moderationum, declarationum et detractionum predictarum de verbo ad verbum presentibus inseri facientes qui tales sunt: « *Sanctissimo patri ac domino suo reverentissimo domino Martino divina providentia sacrosancte Romane ac universalis ecclesie summo pontifici, Joannes Dei permissione tituli sancte Cecilie presbiter cardinalis, devotus servus ejus et filius cum humili recommendatione sui devotissima pedum oscula beatorum.* Reverentissime Sanctitatis Vestre litteras ad me directas recepi tenorem qui sequitur continentes : « *Martinus episcopus servus sevorum Dei. Dilecto filio Johanni tituli sancte Cecilie presbitero cardinali, salutem et apostolicam benedictionem.* Qui regna transfert etc. *ut in regestro tertii anni de verbo ad verbum, in capitulo septimo usque* Datum apud Urbemveterem, VI kalendas septembris, pontificatus nostri anno tertio.» (1) Que autem inter Phylippum Dei gratia regem Francorum illustrem et Carolum ejus secundo genitum, ex una parte et me Johannem tituli sancte Cecilie presbiterum cardinalem, vestro et ecclesie Romane nomine exaltera, acta sunt, prescriptarum auctoritate litterarum juxta mandatum vestrum, tenore presentium ad Vestre deduco notitiam Sanctitatis. Sunt autem acta hujusmodi que secuntur anno domini millesimo ducentesimo octogesimo quarto, mensis februarii, die vicesima, indictionis XII, pontificatus vestri anno tertio. Memoratus rex, coram prelatis et baronibus regni Francie propter hoc Parisius evocatis, lectis prius suprascriptis litteris ac petitionibus ipsius regis vobis per .. Baiocensem et .. Sigalonum in Aurelianensi ecclesia archidiaconos, ejusdem regis nuntios, oblatis et responsionibus ad easdem prout hec in litteris vestris patentibus inclusis tamen (*sic*) in quodam pargameno bullato ad eundem regem necnon et quibusdam aliis ad me directis et tam eidem regi, quam michi, per venerabilem virum et discretum magistrum Egidium de Castelleto, notarium vestrum, traditis et expositis in vulgari plenius continetur, ab eisdem prelatis et baronibus requisivit et petiit fidele consilium sibi dari, utrum sibi expediret ac deceret eundem negotium regni Aragonie et comitatus Barchinomie assumere et etiam acceptare sub lege, conventionibus pactisve in vestris contentis litteris super hoc confectis, juxta moderationes, declarationes et concessiones de novo per memoratum notarium allatas et oblatas. Qui quidem prelati et barones vicesimam primam februarii ad tractandum et conferendum super hoc et deliberandum et vicesimam tertiam dies hujusmodi mensis ad respondendum et dandum super hoc sua consilia statuerunt. Ipsa vero vicesima prima die, summo mane, ipsi prelati et barones convenientes ad palatium regis, lectis iterum prefatis litteris et expositis in vulgari, in partes altrinsecus secesserunt. Qui cum in principio sue deliberationis sicut antea semper in varias traherentur sententias, tandem illo, cum pie credendum est, cujus agebatur negotium inspirante, cujus etiam cum voluerit operatio non novit molimina tarditatis repente et quasi sub eadem hora in identitate consilii ac sententie resederunt, licet ipsos segregaret locorum distantia et in quo concordaret una partium, altera penitus ignoraret, videlicet quod, consideratis, omnibus regi Francie expediebat et regno ipsumque regem decebat predictum negotium assumere et etiam acceptare. Quod cum barones prelatis, per nobilem virum Symonem, dominum de Nigella, militem, nuntiassent, ego et dictus notarius, non expectata die crastina ad danda consilia assignata significavimus regi ut ad palatium suum accederet, responsionem et consilium a prelatis et baronibus auditurus. Quibus idem rex acquiescens statim duobus filiis suis Philippo et Carolo secum adductus venit ad palatium et adunatis invicem prelatis et baronibus, presente ibidem toto ipsius regis consilio generali aliorumque multitudine numerosa,.. Bituricensis archiepiscopus, de voluntate et mandato prelatorum, proposuit pro ipsis et respondit ipsi regi quod consideratis honore Dei et sancte Romane ecclesie ac ipsius regis et regni Francie necnon et utilitate fidei catholice expediens erat regi ipsumque decebat, juxta moderationes [fol. 235], declarationes et concessiones allatas et oblatas per memoratum notarium, hujusmodi negotium acceptare et in hoc omnes et singuli consentiebant et hoc etiam consulebant. Mox vero predictus dominus de Nigella pro baronibus, de mandato eorum et expresso consensu, proposuit quod in eandem sententiam et consilium concordarant et concordabant et etiam consulebant. Rex vero continuo respondit : « Grates vobis omnibus refero, quia bonum et fidele consilium prebuisti » et adjuncxit : «Ad honorem Dei et sancte matris ecclesie, sub forma predicta, assumimus hujusmodi

(1) Ce résumé se trouve dans le registre.

negotium et etiam acceptamus.» Et ut hec omnia de consilio prelatorum et baronum procederent, injuncxit eisdem prelatis et baronibus ut crastino ad palatium redirent, ut de ipsorum consilio unum de filiis suis, excepto primogenito, ad hoc eligeret et etiam nominaret. Quod dicta die crastina prefatis prelatis et baronibus convenientibus et consentientibus, de Carolo secundo genito dicti regis extitit adimpletum. Sane diebus aliquot intermissis ex causa, tertio kalendas martii ego et notarius supradictus accedentes ad regem petiimus quod agendum supererat in negotio regni Aragonum et comitatus Barchinonie adimpleri. Statimque duobus filiis suis memoratis Philippo et Carolo una cum consilio suo vocatis et presentibus, lectis coram ipsis suprascriptis litteris et per me cardinalem distincte et per articulos expositis in vulgari, idem rex genitor et prefatus Carolus, ipso genitore approbante et in hiis expresse consentiente, universa et singula in suprascriptis litteris contenta, que memoratus Carolus filius a me sigillatim super unoquoque interrogatus se asseruit intellexisse, michi vestro et ecclesie Romane nomine sollempniter stipulanti, eadem universa et singula, prout unumquemque ipsorum contingunt, juxta quasdam detractiones, declarationes et concessiones factas et faciendas, acceptato negotio prout ista in quibusdam vestris litteris ad ipsum regem et aliis ad me directis et per ipsum notarium ipsi regi et michi traditis plenius continentur, se inviolabiliter servaturos et negotium hujusmodi prosecuturos sollempniter promiserunt, se ad hoc ac successores suos prout quemque eorum contingunt specialiter obligando. Quibus actis, ego Johannes cardinalis, de memorato Carolo regis Francie filio ad occupandum idem Aragonie regnum et comitatum Barchinonie providi et ipsum ad id faciendum singulariter deputavi, sub modo qui sequitur infrascriptus: « Ego Johannes, tituli sancte Cecilie presbiter cardinalis, auctoritate apostolica michi in hac parte plene commissa, de vobis, domine Carole, quem pater vester Phylippus Dei gratia rex Francie illustris ad id nominavit et elegit, sub lege, conventionibus pactisve ab eodem genitore vestro ac vobis michi, sanctissimi patris ac domini, domini Martini, divina providentia summi pontificis et sancte Romane ecclesie nomine, sub forma prescripta sollempniter promissis, prout quemque vestrum contingunt, ad occupandum regnum Aragonie et comitatum Barchinonie provideo et vos ad id faciendum singulariter deputo in Tarraconensi civitate, ipsius territorio, districtibus et pertinentiis, memorate Romane ac Tarraconensis ecclesiarum per omnia jure salvo.» Cujusmodi provisionem et deputationem taliter a me factas, idem Carolus, memorato rege Francie genitore suo approbante et in hiis expresse consentiente, acceptavit et recepit, Phylippo fratre suo primogenito presente et in hiis eidem Carolo congaudente. Homagium autem et juramentum prout in vestris litteris continentur ad eodem Carolo exigam et recipiam cum ad etatem ab hoc aptam pervenerit, quam implere creditur idem Carolus infra mensem a tempore confectionis presentium numerandum. In cujus rei testimonium sigillum meum duxi presentibus appendendum. — Dat. anno predicto, kal. martii, pontificatus vestri anno tertio. »

« *Martinus episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio Johanni tituli sancte Cecilio presbitero cardinali salutem et apostolicam benedictionem.* In litteris apostolicis per quas attribuitur tibi potestas regnum Aragonie conferendi alicui de filiis carissimi in Christo filii nostri regis Francie illustris quem ad hoc ipse duxerit eligendum, inter cetera continetur quod omnes ipsius regni antique consuetudines approbate bonaque usagia que sacris canonibus non repugnant illibata serventur. Que vero contra sanctiones canonicas statuta seu alias introducta fuerint, omnino viribus careant et quatenus de facto processerant revocentur. Quia vero ex hiis apud eundem regem aliquis dubitationis scrupulus dicitur exoriri, tenore presentium declaramus quod per verba premissa illa tantummodo statuta et alias introducta intelligimus et intelligi volumus in hoc casu carere viribus et quatenus de facto processerant revocanda, que sic sunt contra canonicas sanctiones, quod absque mortali peccato et eterne salutis interitu nequiunt observari. — Dat. apud Urbemveterem IV, idus januarii, pontificatus nostri anno tertio. »

« *Martinus episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio Johanni tituli sancte Cecilio presbitero cardinali salutem et apostolicam benedictionem.* In quibusdam articulis contentis in litteris apostolicis per quas tibi sub certa forma concessimus potestatem regnum Aragonie conferendi alicui de filiis carissimi in Christo filii nostri regis Francie illustris, quem ad hoc ipse duxerit eligendum secundum tenorem litterarum [fol. 235v] ipsarum, promissio dicti regis exigitur et super eadem promissione suarum patentium concessio litterarum. Quia vero sicut intelleximus dictus rex in hujusmodi litterarum concessione certis ex causis difficultatem ingerit, volumus et presentium tibi auctoritate mandamus ut si rex idem in hoc persistat et malit omnes et singulos predictos articulos et contenta in eis sicut cedula per nuntios ejusdem regis nobis oblata et in majoribus litteris, quas ipsi regi destinamus inserta

continet, sollempniter tibi nomine nostro et ecclesie Romane promittere, tu, ejusmodi promissione recepta, non obstante quod idem rex prefatas suas litteras non concedat ad alia que per premissas nostras litteras tibi sunt commissa, procedas juxta formam tibi traditam per easdem. Super dicta vero promissione ipsius tuas patentes litteras confici facias et tuo pendenti sigillo muniri eas nobis quamcito comode poteris transmissurus. — Dat. apud Urbemveterem, IV idus janarii, pontificatus nostri anno tertio. »

« *Martinus episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio Johanni tituli sancte Cecilie presbitero cardinali salutem et apostolicam benedictionem.* In litteris apostolicis per quas attribuitur tibi potestas regnum Aragonie conferendi alicui de filiis carissimi in Christo filii nostri regis Francie illustris quem ad hoc ipse, primogenito excepto, duxerit eligendum post multa que premittuntur secuntur hec verba. Hec et omnia singula memoratus filius ab eodem genitore suo ad predicta electus et a te, ut premittitur, deputatus, se ac eosdem successores inviolabiliter servaturos et hujusmodi negotium sollicite prosecuturos, tibi nostro, successorum nostrorum et ipsius ecclesie Romane nomine, prefato rege Francie genitore suo eadem universa et singula specialiter approbante ac consentiente in ipsis expresse pro se ac ipsis successoribus suis, eos ad eadem obligando promittet et proprio juramento firmabit in eisdem promissione ac juramento adiciens quod hec omnia cum ad legitimam etatem pervenerit, non differet sine difficultate aliqua illi ejusdem ecclesie Romane nomine renovare, quem ad hoc ipsa ecclesia duxerit deputandum. Quod si filius dicti regis Francie, quem ipse ad premissa elegerit ejus sit forsan etatis quod ad juramenti prestationem inhabilis habeatur, promittet, idem rex suas super hoc patentes litteras concedendo se ac suum in Francie regno heredem curaturum et facturum bona fide quod idem suus filius, cum ad etatem ad hoc aptam pervenerit, premissa omnia et singula similiter promittet et prestabit sine contradictione qualibet hujusmodi juramentum tibi vel alii qui ad id fuerit per eamdem ecclesiam deputatus. Ne igitur pro eo quod eadem verba in supradictis litteris apostolicis generaliter et indistincte sunt posita dubitatio aliqua forsitan oriatur, tenore presentium declaramus dictum filium de premissis, ut predicitur, in eisdem litteris apostolicis ea solum promittere jurare ac renovare debere que contingunt eundem. — Dat. apud Urbemveterem, IV idus januarii, pontificatus nostri anno tertio.

Nulli ergo etc. nostro confirmationis et suppletionis etc. Si quis autem etc.

Ego Martinus, catholice ecclesie episcopus, subscripsi.

Ego Ancherus, tituli sancte Praxedis presbiter cardinalis, subscripsi.

Ego Hugo, tituli sancti Laurentii in Lucina presbiter cardinalis, subscripsi.

Ego Gervasius, tituli sancti Martini presbiter cardinalis, subscripsi.

Ego Comes, tituli sanctorum Marcellini et Petri presbiter cardinalis, subscripsi.

Ego Gaufridus, tituli sancte Susanne presbiter cardinalis, subscripsi.

Ego Jacobus, sancte Marie in Cosmidin diaconus cardinalis, subscripsi.

Ego Gottifridus, sancti Georgii ad Velum aureum diaconus cardinalis, subscripsi.

Ego Benedictus, sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis, subscripsi.

Datum apud Urbemveterem, per manum magistri Petri de Mediolano, sancte Romane ecclesie vicecancellarii, III nonas maii, indictione XII, incarnationis dominice anno MCCLXXXIV, pontificatus vero domni Martini pape IV, anno quarto.»

581 Orvieto, 5 mai 1284.

Carolo, regi Aragoniae, regnum Valentiae Petro quondamregi sublatum, confert. — (Reg. 41, fol. 235 v°; ann. IV, Cur. n° 12; POTTHAST, n° 22.132

Collatio regni Valentie.

« *Carissimo in Christo filio Carolo regi Aragonum et Valentie illustri, nato carissimi in Christo filii nostri Phylippi regis Francie illustris, salutem et apostolicam benedictionem.* Dudum propter injustitias injurias etc. *ut in proxima superiori usque* de fratrum eorumdem consilio deliberavimus eligendum. In electione vero hujusmodi aliquem de carissimi in Christo filii nostri regis Francie illustris patris tui filiis preferendum multiplex ratio persuasit. Ideoque dilectum filium nostrum Johannem tituli Sancte Cecilie presbiterum cardinalem ad hoc ministrum [fol. 236] ydoneum, de fratrum eorumdem consilio assumentes, ad occupandum regnum Valentie, quod est de terris expositis que olim fuerant dicti Petri, de illo ex eisdem regis Frantie filiis quem ad occupationem dicti regni Aragonum et comitatus Barchinonie idem rex eligeret et prefatus cardinalis juxta datam super hoc per alias nostras litteras sibi formam, auctoritate apostolica, quam in hac parte plene sibi commisimus, deputaret, de ipsorum fratrum consilio voluimus provideri et ipsum ad id faciendum singula-

riter deputari. Statuentes et decernentes quod idem regis Frantie filius, postquam ad occupationem ipsius regni Valentie deputatus fuerit per cardinalem eumdem, eo ipso in dicto regno Valentie nomen et titulum regium omnemque dignitatem quam ipse Petrus, quondam rex Aragonum, in eodem obtinuit, sortiretur et tam per se quam per alios, idem regnum Valentie libere occuparet et faceret suo nomine occupari et illud ipse suique perpetuo successores in illo libere absque contradictione aliqua possiderent et in ipso tanquam veri reges et domini administrarent legitime, plene in eis jus regis et domini habituri. Quedam insuper alia in eisdem contenta litteris duximus statuenda, que noscuntur ad bonum statum dicti regni Valentie necnon ecclesiarum et incolarum ejusdem ac alias iminenti negotio expedire, promittenda per eundem filium sic electum et a predicto cardinali deputandum, ipsius regis Frantie ad id interveniente consensu. Prefatus autem cardinalis hujusmodi negotium juxta formam sibi a nobis traditam exequens diligenter auctoritate apostolica eidem in hac parte commissa, de te quem predictus rex Frantie, pater tuus, ad ipsorum regni Aragonum et comitatus Barchinonie occupationem elegerat et idem cardinalis providerat ac etiam deputarat et qui premissa omnia promisisti, consentiente ad hoc dicto rege Francie, observare ad occupandum regnum Valentie supradictum providit teque ad id faciendum singulariter deputavit, tu vero hujusmodi provisionem et deputationem sic ab eodem cardinali factas, predicto rege Frantie genitore tuo approbante ac in hiis expresse consentiente, acceptasti et etiam recepisti prout in litteris inde confectis ipsius cardinalis sigillo munitis plenius continetur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, que in premissis ab eodem cardinali taliter facta sunt rata et grata habentes, illa ex certa scientia de ipsorum fratrum nostrorum consilio, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus defectum, si quis in eis vel eorum aliquo ex quacunque causa extitit supplentes de plenitudine potestatis et tenorem dictarum litterarum ipsius cardinalis de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est : « *Sanctissimo patri ac domino suo reverentissimo, domino Martino, divina providentia sacro sancte Romane ac universalis ecclesie summo pontifici, Johannes Dei permissione tituli sancte Cecilie presbiter cardinalis, devotus servus ejus et filius cum humili recommendatione sui devotissima pedum oscula beatorum.* Reverentissime sanctitatis vestre litteras ad me directas recepi tenorem qui sequitur continentes : « *Martinus episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio Johanni tituli sancte Cecilie presbitero cardinali, salutem et apostolicam benedictionem.* Qui regna transfert atque constituit etc. *ut in regestro tertii anni de verbo ad verbum in capitulo VIII usque* Datum apud Urbemveterem, IV kalendas septembris, pontificatus nostri anno tertio.» (1) Que autem inter Philippum, Dei gratia regem Frantie illustrem et Carolum ejus secundo genitum, ex una parte et me Johannem tituli sancte Cecilie presbiterum cardinalem vestro et ecclesie Romane nomine, ex altera, acta sunt prescriptarum auctoritate litterarum juxta mandatum vestrum tenore presentium ad vestre deduco notitiam sanctitatis. Sunt autem acta hujusmodi que secuntur : Anno domini millesimo ducentesimo octogesimo quarto, vicesima prima die mensis februarii, indictione XII, pontificatus vestri anno tertio. Memoratus rex Frantie acceptato jam ab eodem rege negotio regni Aragonie comitatusque Barchinomie eisdem regno et comitatu per me Johannem cardinalem domino Carolo filio ejus ab eodem rege ad hoc electo sollempniter assignatis, prout in aliis litteris meis super ipso negotio confectis, quas per venerabilem virum magistrum Egidium de Castelleto vestrum notarium vobis mitto plenius continetur, lectis etiam supradictis litteris et a me cardinali sigillatim per articulos expositis in vulgari, hujusmodi regni Valentie negotium acceptavit. Postmodum memoratus Carolus ad hujusmodi negotium a genitore suo electus, universa et singula in suprascriptis litteris vestris contenta, prout eum contingunt se ac successores suos per se ac suos officiales inviolabiliter servaturos nec contra ea venturos necnon et hujusmodi negotium efficaci sollicitudine ac sollicita efficatia prosecuturos absque dilatione sive intermissione, quas facti qualitas seu emergentium casuum neccessitas non inducet, michi vestro, successorum vestrorum et ipsius ecclesie Romane nomine, prefato genitore suo eadem universa et singula specialiter approbante ac consentiente [fol. 236v], in ipsis expresse juxta adjectiones, declarationes et detractiones factas super negotio regni Aragonie et comitatus Barchinonie in vestris specialibus litteris ad me directis et per memoratum notarium michi traditis comprehensas, sollempni stipulatione promisit. Verum, cum non esset adhuc etatis habilis ad jurandum, predicta juramento proprio non firmavit, sed dictus rex Frantie se ac suum in Francie regno heredem curaturum et facturum bona fide promisit, quod idem suus filius cum ad etatem ad hoc aptam pervenerit, prestabit sine contradictione qualibet hujusmodi juramentum michi, vel

(1) Ce résumé se trouve dans le registre.

alio quem ad hoc Romana ecclesia deputabit. Quibus actis, ego Johannes cardinalis de memorato Carolo regis Francie filio ad occupationem regni Aragonie et comitatus Barchinonie per me antea deputato ad occupandum regnum Valentie, quod est de terris expositis que olim fuerunt dicti Petri, providi et ipsum ad id faciendum singulariter deputavi, sub modo qui sequitur infrascriptus : « Ego Johannes tituli Sancte Cecilie presbiter cardinalis, auctoritate apostolica michi in hac parte plene commissa, de vobis, domine Carole, quem pater vester Phylippus Dei gratia rex Francorum illustris ad id nominavit et elegit sub lege, conventionibus pactisve ab eodem genitore vestro ac vobis michi sanctissimi patris ac domini, domini Martini, divina providentia summi pontificis et sancte ecclesie Romane nomine, sub forma prescripta, prout quemque vestrum contingunt sollempniter promissis, ad occupandum regnum Valentie provideo et vos ad id faciendum singulariter deputo.» Cujusmodi provisionem et deputationem taliter a me factas, idem Carolus, memorato rege Francie genitore approbante et consentiente in ipsis expresse, acceptavit et recepit Phylippo fratre suo primogenito presente et in hiis eidem Carolo congaudente. In cujus rei testimonium sigillum meum duxi presentibus appendendum. — Dat. anno predicto, kalendis martii, pontificatus vestri anno tertio. Nulli ergo etc. nostre confirmationis et suppletionis etc.

Ego Martinus, catholice ecclesie episcopus, subscripsi.

Ego Ancherus, tituli sancte Praxedis presbiter cardinalis, subscripsi.

Ego Hugo, tituli sancti Laurentii in Lucina presbiter cardinalis, subscripsi.

Ego Gervasius, tituli sancti Martini presbiter cardinalis, subscripsi.

Ego Comes, tituli sanctorum Marcellini et Petri presbiter cardinalis, subscripsi.

Ego Gaufridus, tituli sancte Susanne presbiter cardinalis, subscripsi.

Ego Jacobus, sancte Marie in Cosmidin diaconus cardinalis, subscripsi.

Ego Gottifridus, sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis, subscripsi.

Ego Benedictus, sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis, subscripsi.

Datum ut supra.

582 Orvieto, 13 mai 1284.

Johanni, tituli sanctae Ceciliae presbytero cardinali, apostolicae sedis legato, mandat quatinus pravae consuetudines in regno Aragoniae illibatae revocentur. — (Reg. 41, fol. 236 v° ; ann. IV, Cur. n° 13).

« *Dilecto filio Johanni, tituli sancte Cecilie presbitero cardinali, apostolice sedis legato.* In nostris litteris per quas tibi sub certa forma concessimus potestatem deputandi ad regnum Valentie occupandum illum de carissimi in Christo filii nostri .. regis Francie illustris filiis quem ad occupationem regni Aragonie et comitatus Barchinonie ipse rex eligeret et tu deputares juxta datam super hoc per alias nostras litteras tibi formam, statuimus inter cetera quod tam omnibus ecclesiis cathedralibus et aliis regularibus et secularibus ac omnibus personis ecclesiasticis ejusdem regni Valentie, quam dicto filio ejusdem regis Francie sic ab eo electo et a te deputato, suisque successoribus et aliis personis secularibus ipsius regni Valentie, antique consuetudines approbate, bonaque usagia regni ejusdem que sacris canonibus non repugnant illibata serventur. Que vero contra sanctiones canonicas statuta seu alias introducta fuerint omnino viribus careant et quatenus de facto processerant, revocentur. Ne igitur ex hiis in futurum aliquis dubitationis scrupulus oriatur, tenore presentium declaramus quod per verba premissa illa tantummodo statuta et alias introducta intelligimus et intelligi volumus in hoc casu carere viribus et quatenus de facto processerant, revocanda, que sic sunt contra canonicas sanctiones quod absque mortali peccato et eterne salutis interitu nequeunt observari. — Dat. apud Urbemveterem, III idus maii, anno quarto. »

583 Orvieto, 13 mai 1284.

Ad quasdam ecclesiasticas personas in regno Franciae commorantes, de decima regi Franciae solvenda. — (Reg. 41, fol. 236 v° ; ann. IV, Cur. 14.)

Monitorie ad prelatos et alias personas ecclesiasticas regni Francie, super decima solvenda regi Francie.

« *Martinus etc. Venerabilibus fratribus universis archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, prepositis, archipresbiteris et aliis ecclesiarum prelatis ; capitulis ; conventibus et collegiis Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, sancti Benedicti, sancti Augustini, Cartusiensis, Grandimontensis et aliorum ordinum necnon prioribus hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani, domorum Militie Templi et Beate Marie Theotonicorum preceptoribus ceterisque omnibus personis ecclesiasticis secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis per regnum Francie constitutis. Salutem etc.* Solebat

[fol. 237] hactenus mater ecclesia contra infideles suos persecutores et fidei fidelium mentes profundis excitare clamoribus, exhortationibus invitare sedulis et ipsorum suffragia implorare. Clamabat ancxia considerationis obtutibus eminus inimicos aspiciens ancxiabatur quasi parturiens, persecutionem populi christiani sentiens e longinquo. Nunc autem in eo graviori ancxietate posita quo gravius sentit cominus infestos dire persecutionis aculeos et infestatur durius e vicino de propria liberatione sollicita, vocem tanto profundioris clamoris exaltat tantoque amariores solitis molestias depromere cogitur in auribus filiorum, quanto extimare potest amarius debetque ferre molestius per degeneres filios quos sibi per regenerationis lavacrum generaverat impeti, quam per eos quos adhuc paganorum cecitate detentos, unitati ecclesie ipsius et fidei unda baptismatis non univit. Ecce siquidem sicut in omnem fere orbis angulum creditur diffamatum ille iniquitatis filius Petrus, quondam rex Aragonum, velut in contemptum dampnabili temeritate deducto, quod ratione regni Aragonie ipsi ecclesie a clare memorie avo ipsius oblati et censualis, tam ab illo quam ab aliis ejus Petri predecessoribus constitutis, ad fidelitatis debitum ad quod idem avus ipsum sicut et suos ceteros in regno successores eodem tempore oblationis hujusmodi obligarat nobis et ipsi ecclesie tenebatur, de procedendo in Africam pretento colore concinnatis dolis et insidiis machinatis contra nos, eandem ecclesiam et carissimum in Christo filium nostrum Carolum Sicilie regem illustrem, nulla diffidatione premissa, quod proditionis non caret nota, procedens insulam Sicilie, terram peculiarem ipsius ecclesie, licet jam memorato Sicilie regi rebellem adhuc, tamen ejusdem ecclesie recognoscentem dominium et nomen publice invocantem, militum et peditum caterva stipatus invadere ac occupare presumpsit et in illa ejusdem ecclesie pacem turbans, gravem contra eam seditionem excitans graviterque populum concitans in eam temeritatis prorupit audatiam quod rebellibus ejusdem insule monitionibus, inhibitionibus, penarum comminationibus factis et excommunicationis et interdicti sententiis promulgatis a sede apostolica contra dictos rebelles, complices et fautores eorum, vilipensis, omnino favens eosque fovens aperte, se illorum ducem constituit et aurigam regium in regno Sicilie nomen usurpans, se regem Sicilie nominans et gerere pro Sicilie rege presumens, ac dictis rebellibus aliisque regni ejusdem incolis, ratione uxoris sue, filie quondam Manfredi olim principis Tarentini natorumque communium, se falso teneri confingens, cum sit notorium eundem Manfredum posterosque suos a successione dicti regni Sicilie, non solum per maculam illegitime ipsius Manfredi nativitatis exclusos, sed et per privationis sententias contra quondam Fridericum, olim Romanorum imperatorem, ipsius Manfredi, ut dicitur, genitorem per felicis recordationis Innocentium papam IV, in Lugdunensi concilio et postmodum specialiter contra ipsum Manfredum, super omnibus que in regno habebat eodem, per pie memorie Alexandrum papam, predecessores nostros, exigentibus ipsius Manfredi demeritis promulgatas penitus alienos. Per hec autem et alia que processus nostri super hiis habiti plenius continent, idem Petrus memoratos rebelles et precipue Messanenses, adeo in sua malitia affirmavit, quod licet ante ipsius Petri in insula memorata presentiam humiliter venerabilem fratrem nostrum Gerardum episcopum Sabinensem, in partibus illis apostolice sedis legatum, et nuntios suos admitterent, postmodum tamen admittere denegarunt. Et quanquam variis monitionibus, inhibitionibus, penarum indictionibus factis et sententiis similibus latis, specialiter contra eum ipsum, studuerimus revocare, peremptorie citantes eundem ut, a premissis omnino desistens, infra tempus quod ei pro peremptorio assignavimus termino, ad nostra et ipsus ecclesie mandata rediret, alioquin ad exponendum regnum Aragonie ac alias terras tempore illo ejus et ad ipsum privandum eisdem extunc, prout videremus expediens, procedere curaremus, vassallis suis a fidelitatis juramento, quo tenebantur eidem, nichilominus absolutis. Ipse tamen, se contumacem horum omnium exhibens contemptorem, a sua perversitate non destitit, nec citationi premisse obedire curavit, sed sue iniquitati semper adiciens, non sine occisione multorum et strage ad reliquas partes ejusdem regni Sicilie occupandas, varias multiplicavit insidias diversosque conatus extendit. Et ut nichil omitteret ad persecutionem nostram et ejusdem ecclesie intemptatum, ad pacificum statum urbis Patrimonii beati Petri aliarumque terrarum ipsius ecclesie, necnon et aliarum partium Italie, subvertendum et urbem, terras ac partes easdem a nostre obedientie debito avertendas, sicut ex multorum fida relatione percepimus, nunc per nuntios, nunc per litteras variis machinationibus nitebatur et nititur ac nisibus fraudulentis institit et insistit ut nos et ipsam ecclesiam, non solum in prefato regno Sicilie opprimat, sed et in aliis omnibus pro sua concepta contra Deum, nos et ipsam ecclesiam iniquitate conculcet. Horum et suorum majorum excessuum, quos [fol. 237v] velut notorios partius, voto vitande prolixitatis, attingimus, continuatione, idem Petrus nos et eandem ecclesiam extunc vexabat et adhuc vexare non desinit eorumdem vexationibus continu-

atis, impetebat et impetit nosque impetiti continue non inmerito ancxiamur. Maxime autem ancxietatibus nostris adiciebant et incessanter adiciunt totius christianitatis considerata dispendia, dum Terre Sancte per hec impeditum subsidium consideramus, non sine amaritudine nimia, terram ipsam desperationis periculo immo et perditionis exponi et recuperationem imperii Romanie, quam Paleologi subtractio et dicti regis Sicilie ad eam prosequendam nota dispositio paratam et facilem verisimiliter offerebant proh, dolor, absque spe proxime facultatis similis impediri. Tantas itaque patris et matris angustias, devotionis fratres et filii ante oculos mentis expandite ipsasque pia meditatione pensantes, religionis christiane dampna tam gravia nobiscum amaro animo deplorata in scrutinio exacte discussionis inducite advertiteque prudenter quantis sit hujusmodi nequam et insidiosi hominis persecutio plena periculis, quanta discrimina secum trahat, que cum in sui principio, sic negotia Christi, sic comoda christianitatis impediat, si procedat ulterius, si quod absit de occupatione dicti regni Sicilie iniquum desiderium suum obtineret, omnis humani remedii spem in illis saltem ad tempora multa precideret omnisque labor, non solum a felicis recordationis Gregorio papa X predecessore nostro suisque fratribus, sed etiam ab ecclesia universali assumptus et ipsorum expense profuse ad idem Terre prefate subsidium preparandum, omni frustrarentur effectu. Nec minus diligenter attendite, quod recuperatio ejusdem regni Sicilie ac reformatio status terrarum ecclesie sepefate, si circa hec, quod Deus avertat, prefati conatus procederent dicti Petri labores et sumptus quorum tanquam devoti filii vicem maternam filiali pietate dolentes non fuistis hactenus nec adhuc esse possetis expertes, longe majores, longe graviores exigerent quam impresentiarum defensio eorumdem. Ad propulsandam vero tam grandis persecutionis, tamque infesti persecutoris instantiam et tantam nequitiam reprimendam, necessitate cogente, varios modos ac vias exquirere diversaque remedia cogitare, illud precipuum nobis justitia et ipsius Petri demerita obtulerunt, ut juste viribus debilitatis impius idem sic distraheretur ad multa, quod eum minorem ad singula inveniri contingat. Ipso itaque nec in prefato termino nec postmodum ad nostra et ecclesie redeunte mandata, immo nec per se aut nuntium vel litteras suam excusante contumatiam, sed nos eandem ecclesiam et processus nostros contumaciter contempnente, ceptasque contra nos et ipsam ecclesiam injurias et offensas continue aggravante, nos regnum Aragonie ac terras ceteras eo tempore dicti Petri de fratrum ipsorum exponentes modo subscripto, ipsum Petrum, tunc regem Aragonum eisdem regno et terris regioque honore sententialiter, justitia exigente, privavimus et privantes exposuimus eadem regnum et terras occupanda catholicis de quibus et prout eadem sedes apostolica duceret providendum, in eisdem regno et terris pretacto, ejusdem Romane ecclesie jure salvo. De utili vero et efficaci executione privationis, expositionis et occupationis hujusmodi, cum eisdem fratribus deliberatione prehabita, de ipsorum consilio deliberationis ejusdem direximus exitum ad singularem post Deum earumdem fidei et ecclesie defensorem, ad christianissimum videlicet genus carissimi in Christo filii nostri Phylippi regis Francie illustris, ipsorumque regis et generis suique incliti regni sinceram fidem ad Deum constantem devotionem ad ipsum et ecclesiam grandemque potentiam attendentes aliquem, ipsius regis Francie filiis, alio tamen ab eo qui sibi est in dicto regno Francie successurus, ad occupandum dictum Aragonie regnum et comitatum Barchinonie, qui est de terris expositis que olim fuerant dicti Petri, ministerio dilecti filii nostri Johannis tituli Sancte Cecilie presbiteri cardinalis apostolice sedis legati, auctoritate apostolica quam cardinali eidem plene in hac parte commisimus, de ipsorum fratrum consilio, per alias nostras sub certa forma litteras voluimus provideri et ipsum ad id faciendum singulariter deputari. Memorato itaque rege Francie de ipsorum archiepiscoporum et episcoporum ac omnium baronum suorum consilio hujusmodi acceptante et assumente negotium et ad premissa carissimum in Christo filium nostrum Carolum Aragonie ac Valentie regem illustrem secundogenitum natum suum de archiepiscoporum, episcoporum et baronum eorumdem eligente consensu, dictus cardinalis de ipso juxta formam sibi traditam ad eadem facienda providit et eum ad illa singulariter deputavit. Quia vero ad ministranda eidem regi Francie subsidia que horum prosecutio ex premissis causis per necessaria laboriosa tamen et sumptuosa requirit, nos et eadem Romana ecclesia non sufficimus per nos ipsos licet non ignoremus vos frequenter ejusdem ecclesie gravia supportasse onera et pro ipsa in multis casibus subiisse, urgente tamen adeo evidentis necessitatis articulo, cum ad presens nobis alia via quanquam diligenter exquisita non pateat recurrere [fol. 238] non absque gravibus amaritudinis multe molestiis cogimur ad vestre suffragia caritatis. Ideoque universitatem vestram attente monemus, affectuose rogamus et obsecramus in domino Jhesu Christo, vobis nichilominus per apostolica scripta mandantes et in remissionem peccaminum injungentes

quatinus ad reparanda per prosecutionem eandem predicti Christi christianitatisque negotia discriminaque vitanda, vestri redemptoris intuitu et ob reverentiam dicte sedis ac nostram eidem regi Francie in subsidium prosecutionis ipsius vestrorum omnium ecclesiasticorum reddituum, proventuum et obventionum decimam per quadriennium liberaliter concedatis. Sic ejusdem cardinalis in hac parte persuasionibus, exhortationibus et consiliis parituri, quod a Deo, de cujus negotiis agitur, eterne retributionis premium et ab eadem sede precipui favoris augmentum vestra devotio non inmerito consequatur. — Dat. apud Urbemveterem, III nonas maii, anno quarto. »

584 Orvieto, 13 mai 1284.

Johanni, tituli sanctae Ceciliae presbytero cardinali apostolicae sedis legato, executoria super eodem. — (Reg. 41, fol. 238 ; ann. IV, Cur. n° 15.)

« Executoria super eodem.

« *Dilecto filio Johanni, tituli sancte Cecilie presbitero cardinali, apostolice sedis legato.* Solebat hactenus mater ecclesia etc. *ut in proxima superiori usque* similis impediri. Has quoque nostras et ipsius ecclesie amaras angustias venerabilibus fratribus nostris universis archiepiscopis et episcopis etc. *ut in salutatione precedentis usque* exemptis et non exemptis constitutis per regnum Francie, per alias nostras sub certa forma litteras exponentes, eis benigne suggerimus ut ipsas pia meditatione pensantes et religionis christiane etc. *verbis competenter mutatis usque* non immerito consequatur. Quocirca, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus prefatos archiepiscopos, episcopos, electos, abbates, priores, decanos, archidiaconos prepositos, archipresbiteros et alios ecclesiarum prelatos, capitula, conventus, collegia, priores, preceptores, aliosque universos et singulos supradictos regulares et seculares exemptos et non exemptos, ut dictam decimam per idem quadriennium memorato regi Francie absque difficultate concedant, juxta datam tibi a Deo prudentiam efficaciter per te ac alios moneas et inducas. Quod si tuis in hac parte monitis parere neglexerint, vel qualitercunque distulerint, tu ad id eos universos et singulos, auctoritate nostra, quavis eorum appellatione cessante, compellas. Nos enim, eidem regi Francie dictam decimam ex nunc per quadriennium concedimus supradictum. Non obstantibus quibuslibet privilegiis, indulgentiis vel gratiis eis vel eorum alicui aut dignitatibus seu ordinibus eorumdem et specialiter Cisterciensibus, Premonstratensibus, Cluniacensibus, Cartusiensibus, Grandimontensibus, Templariis, Hospitalariis vel eorum universitatibus aut personis singularibus, sub quacunque verborum forma seu expressione, ab eadem sede concessis, etiam si contineatur in eis quod de ipsorum totis tenoribus seriatim, vel de verbo ad verbum, seu de impetrantium aut ea obtinentium nominibus propriis plenam et expressam seu explicitam quantumcunque oporteat in nostris litteris fieri mentionem et qualibet alia dicte sedis indulgentia, cujuscunque tenoris forme vel expressionis existat, per quam de verbo ad verbum presentibus non insertam aut nominatim et singulariter non expressam, effectus earum impediri quovis modo valeat vel differri. — Dat. ut supra. »

585 Orvieto, 13 mai 1284.

Archiepiscopo, episcopis, ceterisque personis ecclesiasticis per provinciam et dioceses Bisuntinam, Leodiensem, Tullensem, Metensem et Virdunensem de decima regi Franciae solvenda. — (Reg. 41, fol. 238 ; ann. IV, Cur. n° 16.)

Monitorie ad prelatos et personas ecclesiasticas extra regnum Francie super eodem.

« *Martinus etc. Venerabilibus fratribus.. archiepiscopo Bisuntino ejusque suffraganeis ac.. Leodiensi et.. Tullensi episcopis et dilectis filiis.. Metensi ac ceteris electis et capitulo Virdunensi ac universis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, prepositis, archipresbiteris et aliis ecclesiarum prelatis; capitulis; conventibus et collegiis Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, Sancti Benedicti, Sancti Augustini, Cartusiensis, Grandimontensis et aliorum ordinum necnon prioribus hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, domorum Militie Templi, et Beate Marie Theotonicorum preceptoribus ceterisque omnibus personis ecclesiasticis regularibus et secularibus, exemptis et non exemptis, per Bisuntinam provintiam et Leodienses, Metenses, Virdunenses, et Tullenses civitates et dioceses constitutis.* Solebat hactenus etc. *ut in prima usque* vicem maternam filiali pietate dolentes esse vix possetis expertes longe majores, longe graviores exigerent quam impresentiarum defensio eorumdem. Et quidem ad propulsandam tam grandis persecutionis tamque infesti persecutoris instantiam etc *usque* memorato itaque rege Francie de venerabilium fratrum nostrorum archiepiscoporum et episcoporum ac baronum dicti regni Francie consilio etc *usque* nos et eadem

Romana ecclesia non sufficimus per nos ipsos urgente adeo evidentis necessitatis articulo cum ad presens nobis alia via etc. *usque* ad vestre aliorumque prelatorum et ecclesiasticarum personarum suffragia caritatis. Ideoque universitatem vestram etc. *usque* non immerito consequatur. Monita vero preces et mandata hujusmodi ad omnes ecclesiasticos redditus, proventus et obventiones extendimus Virdunensem episcopum qui pro tempore fuerit contingentes. — Dat. ut supra. »

In eodem modo venerabilibus fratribus.. Viennensi.. Tarentasiensi.. Ebredunensi archiepiscopis et.. episcopo Eduensi administrationem gerenti ecclesie Lugdunensis, ecclesia ipsa vacante ac suffraganeis archiepiscoporum et Lugdunensis ecclesie predictorum et dilectis filiis universis abbatibus, prioribus etc. ut in proxima usque exemptis et non exemptis per provintias Lugdunensem, Viennensem, Tarentasiensem et Ebredunensem in ea parte ipsius Ebredunensis provintie que sita est extra comitatus Provintie et Folkalkerii constitutis. Solebat hactenus mater ecclesia etc. usque consequatur. Hec autem monita, preces et mandata nostra quoad te, frater Ebredunensis archiepiscope, tuosque suffraganeos et alias personas ecclesiasticas Ebredunensis provintie ad decimam illorum tantummodo reddituum, proventuum et obventionum que percipiuntur in ea parte ipsius Ebredunensis provintie que sita est extra Provintie ac Folcalkerii comitatus, quoad te vero, frater Eduensis episcope, ratione Lugdunensis ecclesie ad illos tantummodo redditus, proventus et obventiones extendi volumus qui ecclesia ipsa vacante tibi ejus obveniunt ratione. Dat. ut supra.

586 Orvieto, 13 mai 1284.

Johanni, tituli sanctae Ceciliae presbytero cardinali, apostolicae sedis legato, executoria super eodem. — (Reg. 41, fol. 238 v°; ann. IV, Cur. n° 17.)

Executoria super eodem.

« *Johanni, tituli sancte Cecilie presbitero cardinali, apostolice sedis legato.* Solebat hactenus mater ecclesia etc. *usque* similis impediri. Has quoque nostras et ipsius ecclesie amaras angustias venerabilibus fratribus nostris.. Bisuntino.. Viennensi.. Tarentasiensi etc. Ebredunensi archiepiscopis et.. episcopo Eduensi administrationem gerenti ecclesie Lugdunensis, ecclesia ipsa vacante, ac suffraganeis archiepiscoporum et Lugdunensis ecclesie predictorum necnon Leodiensi et Tullensi episcopis et dilectis filiis.. Metensi ac ceteris electis et capitulo Virdunensi universisque abbatibus, prioribus etc. *usque* exemptis et non exemptis per Lugdunensem, Bisuntinam, Viennensem, Tarentasiensem et Ebredunensem provintias, in ea videlicet parte ipsius Ebredunensis provintie que sita est extra Provintie et Folkalkerii comitatus et per Leodienses, Metenses, Virdunenses et Tullenses civitates et dioceseos constitutis per diversas nostras sub certa forma litteras exponentes eis benigne suggerimus ut ipsas pia meditatione pensantes et religionis christiane etc. *verbis competenter mutatis usque* nos et eadem Romana ecclesia non sufficimus per nos ipsos ad archiepiscopos, episcopos et alios supradictos quibus pretactas augustias per alias, ut supradicitur, diversas litteras nostras exponimus, urgente adeo evidentis necessitatis articulo, cum ad presens nobis alia via quanquam diligenter exquisita non pateat, non absque gravibus amaritudinis multe molestiis duximus recurrendum universitatem eorum attente monentes, affectuose rogantes, etc. *usque* non inmerito consequatur. Monita vero preces et mandata hujusmodi ad omnes ecclesiasticos redditus, proventus et obventiones extendimus Virdunensem episcopum, qui pro tempore fuerit contingentes. Sed quoad prefatos archiepiscopum Ebredunensem suosque suffraganeos et alias personas ecclesiasticas Ebredunensis provintie ad decimam illorum tantummodo reddituum, proventuum et obventionum qui percipiuntur in ea parte ipsius Ebredunensis [provintie] que sita est extra Provintie et Folkalkerii comitatus. Quoad eundem autem Eduensem episcopum, ratione Lugdunensis ecclesie, ad illos tantummodo redditus, proventus et obventiones extendi volumus qui ad eum pertinent, vacante ipsa ecclesia Lugdunensi. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatenus prefatos archiepiscopos, episcopos, electos etc. *ut in executoria superiori usque* exemptos et non exemptos, quibus per predictas diversas nostras litteras super hoc, monita, preces et mandata hujusmodi diriguntur ut dictam decimam per idem quadriennium memorato regi Francie etc. *usque* concedimus supradictum. Et nominatim decimam omnium ecclesiasticorum reddituum, proventuum et obventionum qui ad archiepiscopum Lugdunensem et Virdunensem episcopum qui sunt pro tempore pertinere noscuntur. Non obstantibus quibuslibet privilegiis, indulgenciis vel gratiis etc. *usque* impediri quovis modo valeat vel differri. — Dat. ut supra. »

587 Orvieto, 3 juin 1284.

Ad quasdam ecclesiasticas personas, regnum Siciliae commorantes, de decima regi Siciliae solvenda. — (Reg. 41, fol. 238 v°; ann. IV, Cur. n° 18.)

Monitorie ad prelatos et personas ecclesiasticas regni Sicilie super decima solvenda regi Sicilie.

« *Martinus etc. Venerabilibus fratribus universis archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis, electis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, prepositis, archipresbiteris et aliis ecclesiarum prelatis; capitulis; conventibus et collegiis Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, Sancti Benedicti, Sancti Augustini, Cartusiensis, Grandimontensis et aliorum ordinum necnon prioribus hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, domorum Militie Templi et Beate Marie Theotonicorum preceptoribus ceterisque omnibus personis ecclesiasticis, regularibus et secularibus, exemptis et non exemptis, per regnum Sicilie constitutis. Salutem etc.* Solebat hactenus mater ecclesia contra infideles, suos persecutores et fidei fidelium mentes profundis excitare clamoribus, exhortationibus invitare sedulis et ipsorum suffragia implorare. Clamabat ancxia considerationis obtutibus eminus inimicos aspiciens ancxiabatur quasi parturiens persecutionem populi christiani sentiens e longinquo. Nunc autem in eo graviori ancxietate posita quo gravius sentit, cominus infestos dire persecutionis aculeos et infestatur durius e vicino de propria liberatione sollicita vocem tanto profundioris clamoris exaltat tantoque amariores solitis molestias depromere cogitur in auribus filiorum, quanto extimare potest amarius debetque ferre molestius per degeneres filios, quos sibi per regenerationis lavacrum generaverat impeti, quam per eos quos adhuc paganorum cecitate detentos, unitati ecclesie ipsius et fidei unda baptismatis non univit. Ecce siquidem, sicut in omnem fere orbis angulum creditur diffamatum, ille iniquitatis filius Petrus, quondam rex Aragonum, velut in contemptu dampnabili temeritate deducto, quod ratione regni Aragonie ipsi ecclesie a clare memorie avo ipsius Petri oblati et censualis, tam ab illo quam ab aliis ejus predecessoribus constituti, ad fidelitatis debitum ad quod idem avus ipsum sicut et suos ceteros in regno successores eodem oblationis hujusmodi tempore obligarat nobis et ipsi ecclesie tenebatur; de procedendo in Africam pretento colore concinnatis dolis et insidiis machinatis contra nos, eandem ecclesiam et carissimum in Christum filium nostrum Carolum, Sicilie regem illustrem, nulla diffidatione premissa, quod proditionis non caret nota; procedens post infandas crudelitates rebellium Siculorum, quas nostri processus super hoc habiti seriosius exprimunt, insulam Sicilie, terram peculiarem ipsius ecclesie, licet jam memorato Sicilie regi rebellem, adhuc tamen ejusdem ecclesie recognoscentem dominium et nomen publice invocantem, militum et peditum caterva stipatus invadere et occupare presumpsit et in illa, ejusdem ecclesie pacem turbans, gravem contra eam seditionem excitans graviterque populum concitans et in eam temeritatis prorupit audaciam, quod, prefatis rebellibus, monitionibus, inhibitionibus, penarum comminationibus facti et excommunicationis ac interdicti sententiis promulgatis a sede apostolica contra dictos rebelles, complices et fautores eorum vilipensis, omnino favens eosque fovens aperte, se illorum ducem constituit et aurigam regium in regno Sicilie nomen usurpans, se regem Sicilie nominans et gerere pro Sicilie rege presumens ac dictis rebellibus aliisque regni ejusdem incolis, ratione uxoris sue, filie quondam Manfredi, olim principis Tarentini natorumque communium se falso teneri confingens, cum sit notorium eundem Manfredum posterosque suos a successione dicti regni Sicilie, non solum per maculam illegitime ipsius Manfredi nativitatis exclusos, sed et per privationis sententias contra quondam Fridericum olim Romanorum imperatorem, ipsius Manfredi ut dicitur genitorem, per felicis recordationis Innocentium papam IV in Lugdunensi consilio et postmodum specialiter contra ipsum Manfredum super omnibus que in regno habebat eodem, per pie memorie Alexandrum papam predecessores nostros, exigentibus ipsius Manfredi demeritis, promulgatas esse penitus alienos. Per hec autem et alia, que dicti processus plenius continent, idem Petrus, memoratos rebelles et precipue Messanenses, adeo in sua malitia affirmavit, quod licet ante ipsius Petri in insula memorata presentiam, humiliter venerabilem fratrem nostrum Gerardum episcopum Sabinensem in partibus illis apostolice sedis legatum et nuntios suos admitterent, postmodum tamen admittere denegarunt. Et quanquam variis monitionibus, inhibitionibus penarum, indictionibus factis et sententiis similibus latis specialiter contra eum et adjectis nichilominus contra rebelles eosdem, ipsos a cepta malitia studuerimus revocare, peremptorie citantes eosdem, ut a premissis desistentes omnino infra tempora que ipsis pro peremptorio assignavimus termino, ad nostra et ipsius ecclesie mandata redirent, alioquin contra ipsum Petrum ad exponendum regnum Aragonie ac alias terras tempore illo ejus et ad ipsum privandum eisdem, necnon et contra dictos rebelles extunc prout videremus expediens procedere curaremus, vassallis ipsius Petri a fidelitatis juramento, quo tenebantur eidem, nichilominus absolutis, ipsi tamen Petrus et rebelles exhibentes [fol. 239v] se contumaces horum omnium contemptores, nec premisse citationi parere, nec a sua perversitate desistere curaverunt, sed sue iniquitati adicientes, assidue non sine occisione

multorum et strage ad reliquas partes ejusdem regni Sicilie occupandas, varias multiplicaverunt insidias et conatus multiplices extenderunt. Dictusque Petrus, ut nichil omitteret in persecutionem nostram et ipsius ecclesie intemptatum, ad pacificum statum Urbis Patrimonii beati Petri aliarumque terrarum ipsius ecclesie, necnon et aliarum partium Italie subvertendum et Urbem, terras ac partes easdem a nostre obedientie debito avertendas, sicut ex multorum fida relatione percepimus, nunc per nuntios, nunc per litteras variis machinationibus nitebatur et nititur ac nisibus fraudulentis institit et insistit ut nos et ipsam ecclesiam, non solum in prefato regno Sicilie opprimat, sed et in aliis omnibus pro sua concepta contra Deum, nos et ipsam ecclesiam, iniquitate conculcet. Horum et majorum excessuum Petri et rebellium predictorum quos, velut notorius partius voto vitande prolixitatis attingimus continuatione, iidem Petrus et rebelles nos et eandem ecclesiam extunc vexabant et adhuc vexare non desinunt eorundem vexationibus continuatis impetebant et impetunt nosque impetiti continue non inmerito ancxiamur. Maxime autem aucxietatibus nostris adiciebant et incessanter adiciunt totius christianitatis considerata dispendia, dum Terre Sancte per hec impedito subsidio consideramus non sine amaritudine nimia terram ipsam desperationis periculo immo et perditionis exponi et recuperationem imperii Romanie, quam Paleologi subtractio et dicti regis Sicilie ad eam prosequendam nota dispositio paratam et facilem verisimiliter offerebant, proh dolor, absque spe proxime facultatis similis impediri. Tantas itaque patris et matris angustias devotionis fratres et filii ante oculos mentis expandite, ipsasque pia meditatione pensantes, religionis christiane dampna tam gravia nobiscum amaro animo deplorate advertiteque prudenter quantis sit Petri et rebellium eorumdem persecutio plena periculis, quanta discrimina secum trahat, que cum in sui principio sic negotia Christi, sic comoda christianitatis impediat, si ultra procederet, si quod absit de occupatione dicti regni Sicilie iniquum suum desiderium, obtineret omnis humani remedii spem in illis saltem ad tempora multa, precideret omnisque labor, non solum a felicis recordationis Gregorio papa X predecessore nostro suisque fratribus, sed etiam ab ecclesia universali absumptus et ipsorum expense profuse ad idem terre prefate subsidium preparandum, omni frustrarentur effectu. Nec minus diligenter attendite, quod recuperatio ejusdem regni Sicilie ac reformatio status terrarum ecclesie sepefate, si circa hec, quod Deus avertat, ipsorum Petri et ebellium prefati conatus procederent labores et sumptus, quorum ut cetera pericula que vobis exinde specialius spiritualiter et temporaliter iminerent, queve potest discretio vestra prudenter advertere, taceamus, tanquam devoti filii vicem maternam filiali pietate dolentes, esse non possetis expertes longe majores, longe graviores exigerent, quam impresentiarum defensio eorumdem. Ad propulsandam sane tam grandis persecutionis tamque infesti persecutoris instantiam et tantam nequitiam reprimendam, necessitate cogente, varios modos ac vias exquirere diversaque remedia cogitare, illud precipuum, nobis justitia et ipsius Petri demerita obtulerunt, ut juste viribus debilitatis ipsius idem sic distraheretur ad multa, quod eum minorem ad singula inveniri contingat. Ipso itaque, nec in prefato termino, nec postmodum ad nostra et ecclesie redeunte mandata, immo nec per se aut nuntium vel litteras, suam excusante contumatiam, sed nos, eandem ecclesiam et processus nostros contumaciter contempnente ceptasque contra nos et dictam ecclesiam injurias et offensas continue aggravante, nos, regnum Aragonie terrasque ceteras eo tempore dicti Petri de fratrum nostrorum consilio exponentes modo subscripto ipsum Petrum, tunc regem Aragonum, ipsis regno et terris regioque honore sententialiter, justitia exigente, privavimus et privantes exposuimus, eadem regnum et terras occupanda catholicis de quibus et prout predicta sedes apostolica duceret providendum, in eisdem regno et terris, pretacto ejusdem Romane ecclesie jure salvo, sicut hec omnia per nos habiti super hiis de fratrum ipsorum consilio processus et lata sententia seriosius manifestant. Contra memoratos vero rebelles, eorum exigente contumatia, dictos processus prout eorum ante dictam sententiam et postmodum habitorum series manifestius indicat diversimode curavimus aggravare. De utili vero et efficaci executione privationis, expositionis et occupationis hujusmodi, cum eisdem fratribus deliberatione prehabita, de ipsorum consilio deliberationis ejusdem direximus exitum ad singularem, post Deum, earumdem fidei et ecclesie defensorem, ad christianissimum videlicet genus carissimi in Christo filii Phylippi, Francie regis illustris, ipsorumque regis et generis suique incliti regni sinceram fidem ad Deum, constantem devotionem ad ipsum et ecclesiam grandemque potentiam attendentes, aliquem de ipsius regis Francie filiis, alio tamen ab eo qui sibi est in dicto regno Francie successurus, ad occupandum dictum Aragonie regnum et [fol. 240] comitatum Barchinonie, qui est de terris expositis, que olim fuerant dicti Petri, ministerio dilecti filii nostri Johannis tituli sancte Cecilie presbiteri cardinalis, nunc dicte sedis legati auctoritate apos-

tolica, quam sibi per nostras sub certa forma litteras de ipsorum fratrum consilio plene in hac parte commisimus, voluimus provideri et ipsum ad id faciendum singulariter deputari. Memorato igitur rege Francie, de archiepiscoporum, episcoporum et baronum ejus dem regni Francie hujusmodi acceptante et assumente negotium et ad premissa carissimum in Christo filium nostrum Carolum Aragonie ac Valentie regem illustrem secundogenitum natum suum de archiepiscoporum, episcoporum et baronum ipsorum eligente consensu, idem cardinalis de ipso, juxta formam sibi traditam, ad eadem facienda providit et eum ad illa singulariter deputavit. Ceterum habet excessuum Petri ac rebellium eorumdem non quevis immo gravis et enormis adjectio, quod ipsi fidem catholicam ejus persecutores protegendo graviter persequuntur et dictam terram nostri redemptoris sanguine rubricatam, in grandem redemptoris ipsius injuriam et offensam, non solum predicto modo ejus impediendo subsidium sed et alias apertius et acerbius persecutoribus infestis impugnant. Siquidem, post ingressum Petri ejusdem in insulam memoratam, passim inibi, sicut per inquisitores heretice pravitatis accepimus, receptantur heretici et ne iidem inquisitores, quibus, propter Petri et rebellium eorumdem malitiam, illuc non est tutum accedere, contra eos procedere valeant, proteguntur protectique, in ejusdem fidei derogationem horrendam, cotidie multiplicantur et pullulant libri. perversis suis persuasionibus, simplicium animas subvertentes. Terre quoque prefate, cui de dicta insula precipuum solet in victualibus provenire subsidium, idem Petrus et sui ministri suffragio sibi dictorum assistente rebellium ministrari, aliqua victui necessaria non permittunt. Per quorum subtractionem gravi etiam incolis dicte terre gravatis inedia, quibuslibet aliis defensioni ejus in multitudine quam ipsius neccessitas exigit in illis partibus insistendi facultas adimitur et adepta sibi per consequens neccessaria copia defensorum terra eadem se arbitrio inimicorum expositam [*sic*] non indigne deplorans, presentim cum dicto Petro hujusmodi suis perversitatibus insistente subveniri ut expediret non possit eidem, contra impios tante sue persecutionis tam inique, tam evidentis expositionis actores, consueta remedia sue defensionis implorat. Et quidem nil dubium quin predictarum sit fidei et terre subventio ipsis contra discrimina subvenire, nil dubium ipsarum agi negotium dum eorumdem discriminum actoribus obviatur. Quodque qui agnitam fidem Christi persequitur, censendus est infideli deterior, qui eam ullo unquam tempore non agnovit. Et ideo earumdem fidei et terre negotium contra eos quos, ut premissa perhibent, gravior quam infideles culpa commaculat, prosequentes, illud oportunis et consuetis decrevimus auxiliis adjuvandum. Ideoque universitatem vestram attente monemus, affectuose rogamus et obsecramus in domino Jhesu Christo, vobis nichilominus per apostolica scripta mandantes ac in remissionem peccaminum injungentes quatinus ad relevanda pretacta christiane fidei christianitatisque dispendia et longe majora pericula que fidei, terre ac ecclesie totique christinitati predictis, ex ipsorum Petri et rebellium nefandis conatibus, nisi divino et dicti regis Sicilie aliorumque fidelium Christi compescantur auxilio iminent propulsanda conatusque hujusmodi taliter compescendos, quod illorum impedimentis profligatis omnino ipsarum fidei, ecclesie, terre christianitatisque negotia, Deo auspice, feliciter prosperentur, memorato regi Sicilie ad predicta prosequenda commodius et efficacius exequenda, ob reverentiam dicte sedis ac nostram, vestrorum omnium ecclesiasticorum redditiuum, proventuum et obventionum decimam per triennium, in quo quidem triennio biennium per quod ipsi regi Sicilie decimam hujusmodi liberalitate spontanea, de quo devotionem vestram multipliciter commendamus in domino concessistis, volumus numerari, liberaliter concedatis. Sic ejusdem episcopi Sabinensis in hac parte persuasionibus, exhortationibus et consiliis parituri, quod predicta nobis iminentia pericula consultius evitantes, a Deo, de cujus negotiis agitur, eterne retributionis premium et ab eadem sede precipui favoris augmentum consequi non inmerito valeatis. — Dat. apud Urbemveterem, III nonas junii, anno quarto. »

588 Orvieto, 3 juin 1284.

Gerardo, episcopo Sabinensi, apostolicae sedis legato, executoria super eodem. — (Reg. 41, fol. 240 ; ann. IV, Cur. n° 19)

Executoria super eodem.

« *Venerabili fratri Gerardo, episcopo Sabinensi, apostolice sedis legato.* Solebat hactenus mater ecclesia etc. *ut in proxima superiori usque* quod licet. Ante ipsus Petri in insula memorata presentiam te humiliter ac nuntios tuos admitterent, sicut prudentia tua novit, postmodum tamen admittere denegarunt. Et quanquam etc. *usque* impediri. Has quoque nostras et ipsius ecclesie amaras augustias venerabilibus fratribus nostris universis archiepiscopis etc. *ut in salutationem usque* per regnum Sicilie constitutis. Per alias nostras sub certa forma litteras exponentes eis benigne suggerimus

ut ipsas pia meditatione pensantes et religionis christiane dampna tam gravia nobiscum animo amaro deflentes, in scrutinium exacte discussionis inducant, quantis sit Petri et rebellium eorumdem etc. *verbis competenter mutatis usque* decrevimus auxiliis adjuvandum. Propter quod memoratos [fol. 240v] archiepiscopos, episcopos et ceteros supradictos quibus pretactas angustias per alias ut premittitur litteras nostras exponimus, attente monemus, affectuose rogamus et obsecramus in domino Jhesu Christo etc. *mutatis mutandis usque* precipui favoris augmentum non inmerito consequantur. Quocirca, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus prefatos archiepiscopos, episcopos, electos, abbates, priores, decanos, archidiaconos, prepositos, archipresbiteros et alios ecclesiarum prelatos, capitula, conventus, collegia, priores, preceptores, aliosque universos et singulos, regulares et seculares, exemptos et non exemptos, quibus per predictas nostras litteras super hoc monita preces et mandata hujusmodi diriguntur, ut dictam decimam per idem triennium memorato biennio in eo ut supra exprimitur computato, eidem Sicilie regi absque difficultate concedant juxta datam tibi a Deo prudentiam efficaciter moneas et inducas. Quod si tuis in hac parte monitis parere neglexerint, vel qualitercunque distulerint, tu eos ad id universos et singulos, auctoritate nostra, quavis eorum appellatione cessante, compellas. Nos enim ipsi regi Sicilie dictam decimam ex nunc per triennium concedimus supradictum prefato biennio sicut prediximus in eodem triennio computato. Non obstantibus quibuslibet privilegiis etc. *ut in executoria superiori usque* quovis modo valeat vel differri. — Dat. apud Urbemveterem, nonas junii, anno quarto. »

589 Orvieto, 3 juin 1284.

Ad quasdam personas ecclesiasticas, comitatus Provintiae et Folkalkerii commorantes, de decima regi Sicilae solvenda. — (Reg. 41, fol. 240 v°; ann. IV, Cur. n° 20).

Monitorie ad prelatos et personas ecclesiasticas per comitatus Provintie et Folkalkerii constitutas super eodem.

« *Martinus etc. Venerabilibus fratribus universis archiepiscopis et episcopis etc.* ut supra usque exemptis et non exemptis *per comitatus Provintie et Folkakerii constitutis salutem etc.* Solebat hactenus etc. *usque* vestrorum omnium ecclesiasticorum reddituum proventuum et obventionum decimam per triennium liberaliter concedatis. Sic venerabilis fratris nostri Arelatensis archiepiscopi in hac parte persuasionibus etc. *usque in finem.* »

590 Orvieto, 3 juin 1284.

Bertrando, archiepiscopo Arelatensi, executoria super eodem. — (Reg. 41, fol. 240 v°; ann. IV, Cur. n° 21.)

Executoria super eodem.

« *Venerabili fratri Bertrando archiepiscopo Arelatensi.* Solebat hactenus etc. *ut in proxima executoria usque* in insula memorata presentiam humiliter venerabilem fratrem nostrum Gerardum episcopum Sabinensem in partibus illis apostolice sedis legatum et nuntios suos admitterent, postmodum tamen etc. *mutatis mutandis usque* suorum omnium ecclesiasticorum reddituum proventuum et obventionum decimam per triennium prompta liberalitate concedant. Sic tuis in hac parte persuasionibus etc. *usque* per idem triennium eidem Sicilie regi etc. *usque* Nos enim ipsi regi Sicilie dictam decimam ex nunc per triennium concedimus supradictum. Non obstantibus privilegiis quibuslibet etc. *usque in finem.* »

591 Orvieto, 4 juin 1284.

Gerardo, episcopo Sabinensi, apostolicae sedis legato, mandat quatinus contra Petrum, quondam regem Aragoniae et rebelles Siculos crucem predicet et privilegia secundum statuta Lateranensis concilii consueta crucesignatis indulgeat. — (Reg. 41, fol. 240 v°; ann. IV, Cur. n° 22).

Super predicatione Crucis.

« *Venerabili fratri Gerardo episcopo Sabinensi apostolice sedis legato.* Solebat hactenus mater ecclesia etc. *ut in precedenti executoria que scribitur eidem usque* similis impediri. Has quoque nostras et ipsius ecclesie amaras angustias pia meditatione pensantes et religionis christiane tam gravia animo graviter sauciato deflentes in discussionis exacte scrutinium inducebamus et frequenter inducimus, quantis sit Petri et rebellium eorumdem persecutio plena periculis etc. *usque* decrevimus auxiliis adjuvandum. Quocirca fraternitati tue, presentium auctoritate, committimus et mandamus quatinus ad relevanda pretacta christiane fidei christianitatisque dispendia et longe majora pericula que fidei

terre ac ecclesie totique christianitati predictis ex ipsorum Petri et rebellium nefandis conatibus, nisi divino et dicti regis Sicilie aliorumque fidelium Christi compescantur auxilio, iminent propulsanda, conatusque hujusmodi taliter compescendos quod illorum impedimentis profligatis omnino ipsarum fidei ecclesie terre christianitatisque negotia, Deo auspice, feliciter prosperentur, in omnibus terris tue legationis contra Petrum rebellesque predictos, per te ac alios, predices verbum Crucis et eam quibuslibet recipere volentibus, undecunque originem traxerint, largiaris. Nos enim, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate, ac illa quam ipse, nobis licet inmeritis, ligandi atque solvendi contulit potestate confisi omnibus illis qui signo ejusdem vivifice crucis assumpto per annum in personis propriis et expensis, vel in personis propriis et alienis expensis, negotium hujusmodi prosequentur quosve in ejus prosecutione infra annum mori contigerit ac illis etiam qui pro qualitate sui status et pro suarum viribus facultatum ad dictum negotium prosequendum, per idem tempus ydoneos miserint bellatores aut subventionem aliam exhibuerint, tuo, vel eorum quibus id commiseris, arbitrio acceptandam, illis quoque qui decimam per triennium eidem Sicilie regi concessam pro toto eodem triennio primo anno exolverint, illam suorum peccaminum de quibus corde contriti et ore confessi fuerint veniam indulgemus (fol. 241), que concedi transfretantibus in terre sancte subsidium secundum Lateranensis statuta concilii consuevit. Hujusmodi quoque indulgentie volumus esse participes, juxta quantitatem subsidii et devotionis affectum, omnes qui ad subventionem hujusmodi negotii de bonis suis alias congrue ministrabunt.—Dat. apud Urbemveterem, II nonas junii, anno quarto. »

In e. m. Venerabili fratri.. episcopo Portuensi apostolice sedis legato. Solebat hactenus etc. usque affirmavit quod licet ante ipsius Petri in insula memorata presentiam humiliter venerabilem fratrem nostrum Gerardum Sabinensem episcopum in partibus illis apostolice sedis legatum ac nuntios ejus admitterent postmodum tamen admittere denegarunt. Et quanquam variis monitionibus etc. usque in finem.

In e. m. Dilectis filiis.. priori predicatorum et.. ministro minorum fratrum ordinum provincialibus Sardinie et Corsice. Solebat hactenus etc. usque decernimus auxiliis adjuvandum. Quocirca devotioni vestre presentium auctoritate committimus et mandamus quatinus ad relevanda pretacta etc. usque in omnibus terris Sardinie et Corsice contra Petrum rebellesque predictos predicetis per vos ac predicari faciatis per alias personas ydoneas, precipue vestrorum ordinum, verbum crucis et eam quibuslibet recipere volentibus undecunque originem traxerit concedatis. Nos enim de omnipotentis Dei etc. usque bellatores aut subventionem aliam exhibuerint vestro vel eorum quibus id commiseritis arbitrio acceptandam. Illis quoque qui decmam etc. usque ministrabunt. Volumus insuper et districte precipimus quod tam vos quam illi quibus hujusmodi predicationis officium duxeritis committendum, in premissis sitis solliciti et attenti nec in illorum executione, quisquam vestrum alium impediat vel perturbet. Non obstante aliqua indulgentia fratribus ipsorum ordinum ab eadem sede sub quacunque verborum forma concessa, quod apostolica mandata suscipere vel exequi per litteras apostolicas in quibus de indulto hujusmodi mentio non habetur, minime teneantur vel si aliquibus quod excommunicari, suspendi vel interdici non valeant, forsitan sit indultum et quibuslibet aliis indulgentiis privilegiis seu litteris ab eadem sede obtentis, per que predicta impediri vel differri possint et de quibus specialem oporteat in presentibus fieri mentionem. Dat. ut supra.

592 Pérouse, 11 février 1285.

Gerardo, episcopo Sabinensi, apostolicae sedis legato, de reformatione regni Siciliae post regis Karoli mortem scribit et litteras dicti Karoli regis mandat. — (Reg. 41, fol. 241; Ann. IV, Cur. nº 23; Potthast, nº 22.209).

« *Venerabili fratri.. episcopo Sabinensi, apostolice sedis legato.* Ad statum regni Sicilie reformandum a longis retrotemporibus Romane matris ecclesie, non absque innumeris sumptibus, inmensis laboribus gravibusque dispendiis, pia laboravit affectio. Sed et nunc eo fervet ardentius quo nostris in hoc et ejusdem ecclesie desideriis ancxiis, et clare memorie Caroli Sicilie regis, et sui primogeniti, vota multimodis insinuata, concurrunt et incolarum dicti regni Siculis et, aliis perpaucis exceptis, sincera devotio et laudanda, fidelitas memorati regis heredibus post ejus obitum sicut letanter audivimus; et valde nimium acceptum habuimus, et ex totis precordiis, non inmerito acceptamus laudabiliter et evidenter exhibita, nos adeo provocat, adeo stimulis gratis proculdubio et acceptis instigat, ut una cum nostris fratribus concordi et intenso feramur affectu celeriter in premissis eorum justa desideria satiare. Prefatus siquidem rex, non solum in itinera dudum constitutus eundi Burdegalam per suas patentes sub certa forma litteras super directione, ordinatione vel reformatione seu quacunque alia dispositione quorumcunque gravaminum dicti regni, ecclesiarum, universitatum et singularium personarum ipsius, nobis nostreque directioni, reformationi, dispositioni ac ordinationi plene, libere, alte et basse submisit. Verum etiam nuper, sanus mente licet infirmitatis gravatus, incommodis que ipsum prout ei placuit qui aufert spiritum

principum infra paucos dies ab hac luce subtraxit, predictas suas litteras per alias patentes similiter quod irrevocabilem et inmutabilem sue in hoc voluntatis soliditatem probat, apertius confirmavit. [In eisdem litteris hujusmodi confirmationis adiciens quod ipsis nequaquam obstaret si eum, humana fragilitate laborantem, naturalis forte solutione debiti contingeret preveniri. Omnia enim que facienda, mandanda, ordinanda, determinanda, declaranda et statuenda duxerimus de premissis, per heredes suos imperpetuum voluit et in eisdem confirmationis [fol. 241 v] litteris mandavit ac statuit inviolabiliter observari, sicut utrarumque litterarum ipsarum dicti regis tenores de mandato nostro ad majorem evidentiam et cautelam de verbum ad verbum presentibus annotati perhibent manifeste. Dictus quoque primogenitus voluntatis, aut verborum n hoc terminis non contentus, ad quedam statuta ut dicitur ob ejusdem regni gravamina relevanda immo potius tollenda processit. Et licet aliqui probi viri de regno prefato, ad obtinendam celeriter editionem ordinationis, reformationis et dispositionis hujusmodi, prudenter institerint et cum eorum instantia intentio nostra concurreret, quia tamen id dicti status, cujus declaratio patebatur, ignorantia ex causis causata diversis, quas in litteris nostris tibi expressimus, non permisit memoratis viris ad petitionem ipsorum tunc remissis ad propria, pro eo quod investigationem status ejusdem, quam facti exigebat neccessitas expectare non poterant commode ut dicebant. Nos extunc, ad investigandam veritatem status ipsius, prout in earumdem litterarum nostrarum tenore prediximus, sollicite intendentes, sollicitudinem investigationis hujusmodi tue solertie sicut nosti apostolicis super hoc inculcatis litteris duximus committendam, tuque super hiis que in hac parte tibi commisimus solerter inquirens ea que circa premissa per inquisitionem hujusmodi contigit, inveniri nobis intimare curasti. Et quanquam ad examinationem predictorum nostra fervens dirigeretur intentio, ex causis tamen legitimis multipliciter extitit impedita. Nuper autem non absque grandium aliorum negotiorum omissione oportunitate captata, una cum eisdem fratribus predicte inquisitionis discussioni vacavimus et ad efficatia excogitanda remedia et exquirendos utiles solidosque modos et vias per que regnum ipsum tranquillitate gaudeat et libertate debita potiatur collationibus exactis, institimus et assidue instare proponimus, donec quod benigna patris circa hec concepit intentio desideratum nobis et ejusdem regni filiis justis ipsorum desideriis consonum, opitulante divina clementia, producat effectum. Ideoque volumus, et fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus premissa et tenores prefatos dictarum litterarum regis ejusdem per omnes dicti regni provintias, civitates et loca, de quibus expedire putaveris, publices et, per personas alias ad hoc aptas, facias publicari aliquibus prelatis, baronibus, civitatibus et locis ac aliis qui et quot ad hoc fore utiles, tibi communicato consilio eorum qui hujusmodi occasione convenerint, videbuntur, auctoritate apostolica injuncturus. Et cum agatur ad presens de ordinatione facienda status perpetui dicti regni, et eis presentibus possit per nos salubrius, certius et securius in hac parte procedi infra tempus quod ad hoc considerata neccessitate negotii competens esse putaveris, a te prefigendum eisdem civitates et loca eadem aliquos viros ad hoc ydoneos ad nos mittant, cum quibus, si opus fuerit, deliberare possimus et instrui ab eisdem. Dicti vero prelati et barones, ac alii de se ipsis, destinent aliquos loco sui ad informandum et instruendum nos, si expedierit, super conditionibus dicti regni et ad ea que circa statum ejus salubriter ordinanda, duxerimus audienda. Tenor autem primarum litterarum regis ejusdem de verbo ad verbum talis est :

« *Karolus, Dei gratia rex Jerusalem, Sicilie, ducatus Apulie, principatus Capue, Alme Urbis Senator, princeps Achaye, Provintie, Forkalcherii et Tornoderi comes, universis presentes litteras inspecturis, salutem in domino.* Infra precordia nostra revolvimus et diligenter attendimus plene caritatis affectum quo sanctissimus pater et dominus noster, dominus Martinus papa quartus, nos prosequitur, et semper est in omni statu favorabiliter prosecutus, unde non inmerito de persona sua more grati filii plenarie confidentes, super directione, ordinatione, reformatione seu quacunque alia dispositione collectarum, talliarum, exactionum, matrimoniorum aut aliorum quorumcunque que gravamina dicerentur vel dici possent, tam circa ecclesias et monasteria, prelatos et alias ecclesiasticas personas, quam circa communitates et universitates civitatum, castrorum et aliorum locorum, et etiam circa singulares personas totius regni Sicilie ac cujuslibet partis ipsius, nos ipsos, tam pro presenti quam pro futuro tempore, dicto domino Martino, dumtaxat ejusque directioni, reformationi, dispositioni ac ordinationi plene et libere alte et basse, in predictis et pro predictis, submittimus, volentes, consentientes et concedentes expresse quod in predictis omnibus et singulis, idem dominus papa habeat plenam, generalem et liberam auctoritatem seu potestatem ordinandi, constituendi, statuendi, disponendi, reformandi, dirigendi ac omnia faciendi, prout sibi placuerit

et viderit expedire. Et promittimus inviolabiliter observare quicquid per eundem dominum Martinum super hiis et quolibet premissorum semel vel pluries, conjunctim [fol. 242] vel divisim, nobis et dilecto filio nostro Carolo, principi Salernitano, domino Montis Sancti Angeli, quem vicarium in regno ipso reliquimus generalem et quibuslibet aliis officialibus requisitis, vel irrequisitis, presentibus vel absentibus, directum vel reformatum statutum aut dispositum seu actum fuerit, vel etiam ordinatum, nos et heredes ac successores nostros, ad hec, auctoritate presentium, specialiter obligantes. In cujus rei testimonium presentes litteras fieri fecimus et nostri sigilli munimine roborari. Actum apud Urbemveterem anno domini 1283, die 9 mensis martii, 11 indictionis, regnorum nostrorum Jerusalem anno 6, Sicilie vero 18.

« Tenor vero secundarum similiter de verbo ad verbum talis est :

« *Sanctissimo in Christo patri sacrosancte Romane ac universalis ecclesie summo pontifici, Karolus, Dei gratia, rex Jerusalem, Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue, Alme Urbis Senator, princeps Achaye, Andegavie, Provintie, Folkalcherii et Tornoderi comes, cum omni reverentia et honore devota pedum oscula beatorum.* Pridem negotii urgentia deposcente partes Burdegale repetens Sanctitati Vestre generalem, plenam et liberam potestatem per patentes litteras meas traditi et concessi, tollendi, cassandi et penitus removendi, omnia que in regno meo Sicilie fidelium meorum onera essent et gravamina dici possent et regnum ipsum ad statum prosperum reducendi et omnia statuendi que ad status reformationem ejusdem vestra videret paternitas expedire. Verum, cum super hoc multorum negotiorum forte pluralitate distracti, nondum duxeritis providendum fidelium eorumdem constantem fidem et sinceram devotionem experiens eamque semper inveniens plus votis meis accomodam et in temporis turbine plus serenam. Voluntatem meam circa statum eorum salubriter ordinandum jugiter adaugere suadeor, et ad ipsorum beneficia per eorum merita indesinenter inducor, Sanctitati Vestre humiliter supplicans quatinus, tam votorum satisfactioni meorum, quam dictorum fidelium commodis in hac parte pariter occurentes, juxta predictam vobis per me concessam et traditam potestatem, quam presentium tenore confirmo, predicta omnia onera et que gravamina dici possent removere, tollere ac cassare dictumque regnum prospere reformare, omniaque statuere que ad bonum statum heredum nostrorum et fidelium eorumdem videritis expedire, sacra si placet provisione velitis eo aliquatenus non obstante quod humana fragilitate laborans naturalis forsan solutione debiti prevenirer, omnia enim que facienda, mandanda, ordinanda, determinanda, declaranda et statuenda duxeritis de premissis per heredes meos imperpetuum volo, mando et statuo inviolabiliter observari. Datum Fogie, anno domini 1285, die 6 januarii, 13 indictionis, regnorum nostrorum, Jerusalem anno octavo, Sicilie vero vicesimo, diem autem prefixionis.

« Hujusmodi et quicquid feceris in premissis, nobis per tuas litteras harum seriem continentes, studeas fideliter intimare. — Dat. Perusii, III idus februarii, anno quarto. »

593 Pérouse, 16 février 1285.

Gerardo, episcopo Sabinensi, apostolicae sedis legato et Roberto, comiti Atrebatensi, bajulis regni Siciliae, curam et regimen dicti regni committat et potestatem eorum definit, mandatque diversa de pecuniis dicti regni. — (Reg. 41, fol. 242 ; ann. IV, Cur. n° 24 ; POTTHAST, n° 22.213).

« *Venerabili fratri Gerardo, episcopo Sabinensi, apostolice sedis legato et dilecto filio nobili viro R., comiti Atrebatensi, bajulis regni Sicilie per Romanam ecclesiam constitutis.* Romane matris ecclesie summa benignitas que, pietate plena, caritate non vacua, in filiorum letatur prosperis, perturbatur adversis, a longis retrotemporibus prout in totius pene orbis notitiam creditur, jam perductum de statu regni Sicilie peculiaris utique terre sue in quo devotionis et fidei filios spirituales agnoscit, se sollicitam exhibens et attentam, laborum ingentium pertulit sarcinam, sumptuumque diversorum onera subiit, ut de regno ipso impedimentis quibuslibet radicitus amputatis fidelium in ipso degentium sincera devotio, pacis stabilis gauderet comodis et quietis votive dulcedine perpetuis durature temporibus potiretur. Nunc etiam continuatis affectibus et sollicitudinis studiis observatis, pia ecclesie ipsius affectio circa predictum statum, quem votis optat ardentibus fore pacificum, prosperum et tranquillum, tanto propensioris considerationis extendit intuitum, profundius cogitat et sollicitior redditur de eodem quanto peramplius id exigere noscitur, urgentis necessitatis articulus et temporis qualitas incumbentis. Dum enim clare memorie Carolus rex Sicilie, carissimus ecclesie filius, temporalis vite solatio fruebatur dum regno presidebat eidem, ipse sue immensitate prudentie, qua eum [fol. 242v] decorarat Altissimus, dicti regni gubernacula dirigens, illud sue potentie brachio tuebatur, ab hostibus defendebat, ab emulis a perversorum

conatibus protegebat. Sed rege ipso, prout domino placuit, qui aufert spiritum principum, de medio jam sublato, quod non sine multa mentis turbatione referimus, de ipsius regni gubernatione sollicita cure potioris stimulis augimur ferventius et solertius cogitamus, multorum detestandam nequitiam ad ipsius regni turbationem omnimodam nephandis satagentem nisibus attendentes. Ideoque, licet prefatus rex dum adhuc mentis sue compos existeret, quanquam infirmitatis incomodis gravaretur, de ipsius regni regimine sollicite cogitans et ad ejus tranquillitatem intendens, te, fili comes, de quo rex ipse non inmerito confidere poterat, cum sibi esses proxima consanguinitate conjunctus, generalem ipsius regni prout asseritur bajulum, ut suis utamur eloquiis, ordinarit, apostolice in hoc nichilominus voluntatis beneplacito reservato. Nos tamen, considerantes attentius arduitatem et difficultatem negotii et tam ampli, tam spatiosi diffusique terminos dicti regni, ac innumeram in illo degentium multitudinem populorum, non facile utique gubernandam pensantes etiam graves, immo gravissimas et vicinas insidias, ad regnum ipsum aspirantium usurpandum et quod ejusdem regis primogenitus, ad quem successionis jure memoratum regnum pertinere dinoscitur, captus a rebellibus detinetur, quodque ipsius primogeniti filius per incrementa temporum nondum ad primos limites legitime pervenit etatis, recogitantes quoque sollertius quod prefata ecclesia, cujus esse conspicitur regni proprietas prelibati, se in tam periculosi, tam dispendiosi temporis turbina, digne ac rationabiliter de ipsius regni regimine intromittit consulte quinimmo necessario, de fratrum nostrorum consilio, duximus ordinandum, ut tu, frater episcope, ac tu predicte comes, communiter et simul exerceatis curam, gubernationem et regimen dicti regni. Ut igitur cautius et efficatius ac utilius in hujusmodi negotio procedamus, bajulatum, curam, regimen, gubernationem, administrationem, predicto regno, ad honorem Dei et ejusdem ecclesie ac ipsius regni statum pacificum et quietum, vobis in solidum, de ipsorum fratrum consilio, presentium auctoritate committimus per vos prout declaratur inferius exequenda. Speramus etenim, et fiducia secura deducimur, vestra pensata sollertius excellentia meritorum quod ad commissionem hujusmodi utiliter, auctore domino, exercendam studium efficax operamque sollicitam curabitis exhibere. Volumus autem ut uterque vestrum se, una cum altero, regni Sicilie bajulum nominet per sanctam Romanam ecclesiam constitutum. Sed nichilominus tu, predicte episcope, in hujusmodi nomine bajulatus tue legationis titulum non omittas, ut simul legatus et bajulus, una cum alio, in tuis litteris exprimaris et tu, predicte R., comes Atrebatensis, et cum legato bajulus ut predicitur, nomineris. Neutri vero vestrum absque assensu alterius aliquatenus liceat regni ejusdem curias ordinare, vel magistrum justitiarum, seu vicemagistrum et quatuor judices ejus, aliosque justitiarios secretos, magistros portularios, procuratores et magistros salis, magistros defensarum seu forestarum, magistros marescalle, magistros passuum magistros araciarum, magistros rationales, provisores castrorum, senescalcum, marescalcum, cancellarium vel vicecancellarium regni, amiratum vel viceamiratum, tres thesaurarios pecuniam recipientes proventuum dicti regni et custodientes eandem, vel aliquem eorumdem, duos hospicii thesaurarios grasserios, judices appellationum, procuratorem vel advocatos fisci, rubricatores, capitaneum aquile, judices generales, criminalium vel civilium questionum, seu generales officiales alios dicti regni, aut officia vel officialitates alia generalia instituere vel destituere seu creare, aut ordinare de novo seu etiam feuda de novo concedere vel vetera renovare, seu reconcedere, ut patrie verbis utamur, aut dare seu conferre investituram ipsorum, sive recipere homagium pro eisdem, aut privare aliquem vel aliquos feudis suis, aut disponere vel ordinare de regni memorati proventibus, sed per vos premissa omnia comuni assensu cum requiret neccessitas vel suadebit utilitas impleantur. Pecuniam autem que percipietur pro tempore de proventibus supradictis apud tres thesaurarios Castri Ovi volumus et precipimus cum integritate deponi per thesaurarios ipsos custodiendam, sollicite ac fideliter conservandam. Sed iidem thesaurarii nichilomnino de pecunia supradicta disponent nichilque sine consensu et speciali mandato vestro per patentes speciales vestras litteras thesaurariis ipsis facto alicui vel aliquibus exhibebunt. Et quia, ubi multa consilia, ibi salus decens et expediens fore cognovimus, ut in aliis magnis et arduis que vobis occurrent pro tempore facienda, vos invicem consulatis, communi consensu in eis sollicite processuri prout licere videbitur ac loci et temporis qualitas suadebit. Ceterum personarum dicti regni laboribus et sumptibus parcere intendentes, volumus et ordinamus ut non solum a majoribus officialibus [fol. 243] et juridicibus prelibatis, verum etiam ab aliis inferioribus ad quemlibet vestrum in causis et judiciis appelletur, quemadmodum ad regem Sicilie qui existit pro tempore contingeret appellari, non intendentes per hoc debere vel posse ab aliis vel aliter appellari quam fieri deberet et posset ipsi regno, personaliter presidente, ac etiam a vobis et uno quoque

vestrum in causis et judiciis prelibatis absque cujuslibet contradictionis objectu, ad sedem apostolicam appellationem interponere valeant, litigantes quotiens ipsis rationabiliter visum fuerit expedire. Bajulatum autem, curam, regimen, gubernationem, administrationem, potestatem et jurisdictionem hujusmodi tamdiu volumus perdurare, donec prefatum primogenitum dicti regis pristine libertati restitui, vel per sedem eandem aliud in hac parte contigerit ordinari. Nulli ergo etc. nostre ordinationis commissionis et voluntatis nostrique precepti infringere etc. — Dat. Perusii, XIV kalendas martii, anno quarto. »

594 Pérouse, 27 février 1285.

Gerardo, episcopo Sabinensi, apostolicae sedis legato et Roberto, comiti Atrebatensi, bajulis regni Siciliae, mille uncias auri de proventibus, pro cura dicti regni, mittit. — (Reg. 41, fol. 243 ; ann. IV, Cur. n° 25).

« *Venerabili fratri Gerardo, episcopo Sabinensi, apostolicae sedis legato et una cum dilecto filio nobili viro R. comite Atrebatensi, bajulo regni Sicilie per Romanam ecclesiam constituto.* Per nuntios tuos fuit nuper nobis expositum qualiter de Sicilia nichil potes percipere ac etiam in Calabria et in aliquibus aliis tue legationis partibus, propter presentes turbationes, tibi procurationes debite integre non solvuntur, unde cogeris in expensis sustinere defectum. Nos autem ad ea que per ipsos nuntios fuere proposita, provisionis nostre gratiam convertentes et attendentes quod quantumcunque minuantur procurationes hujusmodi expensarum, tibi onera decrescunt, immo potius adaugentur, propter turbationes easdem et propter alia que incumbunt pro conservatione regni Sicilie, propter bajulatum etiam tibi et dilecto filio nobili viro R., comiti Atrebatensi, una tecum per Romanam ecclesiam in regno ipso commissum, considerantes insuper quod quanto decentius habundabis, tanto utilius eisdem regni negotiis adesse poteris et prodesse, decens quoque ac juri consonum reputantes, quod ratione bajulatus ejusdem de ipsius regni proventibus substenteris, licet in totum de eisdem proventibus tibi hujusmodi substentatio deberetur, tamen ntendentes dictum regnum propter multa incumbentia pensanda, consulte ponderanda prudenter ab oneribus quatenus honeste possumus preservare, ac tibi super hiis de subsidio congruo providere volumus, quod pro instanti anno mille uncias auri de proventibus ipsis recipere valeas et habere, una cum aliis que de procurationibus ipsis tibi proveniunt in tuarum subsidium expensarum et subventionis hujusmodi aut juri aut aliis quibuscunque conditionibus, conventionibus et pactis habitis inter eandem ecclesiam et clare memorie Carolum regem Sicilie in aliquo imposterum derogari, quando conditiones, conventiones et pacta hujusmodi omnino in suo vigore permaneant et serventur, erga te ac dictum comitem, vel alium seu alios, quem vel quos juxta conventiones et pacta predicta, seu alias legitime in administratione regni ejusdem per dictam ecclesiam contigerit deputari, ac si facta erga te presens moderatio non fuisset. Et ecce per alias nostras litteras eidem comiti scribimus quod predictas mille uncias juxta concessionis nostre tenorem te libere percipere et habere permittat.— Dat. Perusii, III kalendas martii, anno quarto.»

In m. Dilecto filio nobili viro R. comiti Atrebatensi et una cum venerabili fratri nostro Gerardo episcopo Sabinensi apostolice sedis legato, bajulo regni Sicilie per Romanam ecclesiam constituto. Per nuntios venerabilis fratris nostri Gerardi episcopi Sabinensis apostolice sedis legati et bajuli regni Sicile una tecum per Romanam ecclesiam constituti, fuit nuper nobis expositum qualiter etc. ut in alia verbis competenter mutatis usque non fuisset. Quare volumus quatenus eundem legatum predictas mille uncias juxta concessionis nostre tenorem libere recipere ac habere permittas. Datum ut supra.

FIN DU REGISTRE

INDEX NOMINUM

QUAE

REGISTRO MARTINI PAPAE IV CONTINENTUR

A. de Turbio, 245.
A., rex Portugaliae, 236, 239.
A., soror regis Angliae, 15, 16.
Aberdonensis ecclesia, 62, 80.
Aberbrothot, abbas monasterii de —, 231, 259.
Abirnithin, v. Hugo, Maria.
Acer, Wexoniensis episcopus, 32.
Acherontinus episcopus, 245.
Acconensis civitas, 16.
Accursius, episcopus Pensauriensis, 162.
Adam, abbas Ferrariensis, 71.
Adam Gontheri de Bulliaco, clericus, 72.
Adelingflet, 64.
Ademarius, archiepiscopus Lugdunensis, 244.
Adrianus IV, papa, 251.
Aegidius de Bonavalle, 179.
Aelis, uxor comitis Blesensis, 272.
Affrica, 109, 110, 196, 302.
Agareni, 125.
Agnes de Artiaco, priorissa S. Juliani Autissiodorensis, 67.
Agnes, sacrista S. Mariae Nivernensis, 167.
Agnes Sorinae, 167.
Agnes, uxor ducis Burgundiae, 261, 262, 263.
Agrigentini, 111.
Ahelis de Tervant, 165, 166, 167.
Ajustus Rosinpelli, mercator Lucanus, 146.
Alamannia, 84.
Alanus, episcopus Cathanensis, 50.
Albanensis episcopus, 34, 77, 162.
Albertinus, abbas S. Gaudentii, 251, 252.
Albertus de Parma, 177, 178.
Albertus, monachus, 137.
Albiolo, domus de —, 271.
Alcampus, praepositus Pratensis, 4, 53.
Alcantara Militia, 219.
Aldefrandus Christofori, mercator Lucanus, 84.
Aldobrandus, episcopus Sutrinus, 77.
Alexander de Verulis, O.F.M., 71.
Alexander IV, papa, 80, 108, 152, 196, 298, 302.
Alfonsus, natus regis Portugaliae, 237.
A [lfonsus], rex Castellae ac Legionis, 127, 219.
Algarbii regnum, 240, 241.
Alironus, canonicus S. Marci de Venetiis, 79, 176.
Almaricus de Dompna Maria, 158.
Almariccus de Monteforti, capellanus papae, 15, 16.
Amalfitana civitas, 217.
Amanatorum de Pistoria societas, 84, 171.

Ambianensis diocesis, 27.
Ambianensis officialis, 183, 184.
Amedeus, episcopus Valentinus et Diensis, 88.
Amelina de Paredo, 166, 167.
Amelius de Angoto, 11.
Amicus de Alexandria, prior S. Laurentii de Yporegia, 66.
Anagnina diocesis, 13, 66.
Ananiense monasterium, 151.
Ancherus, cardinalis S. Praxedis, 34, 39, 77, 162, 172, 173, 295, 297.
Anconitana civitas, 280.
Anconitana Marchia, 120, 121.
Anconitani, 221, 226.
Anconitanus episcopus, 174.
Andeciarum monasterium, 172, 173.
Andegavensis episcopus, 164, 165.
Andevenit, conventus de —, 271.
Andreas, abbas S. Sabae de Urbe, 137.
Andreas de Ansella, 258.
Andreas de Fano, 251.
Andreas Gansoni, 154.
Andreas Mainacaprae, 51.
Andriolus de Guisulfis, 259.
Angelus de Monte Opulo, 171.
Angelus de Perusio, 287.
Angelus Sanii, canonicus Aprutinus, 71.
Anglarius, episcopus Tudertinus, 50.
Angliae regnum, 20, 64, 78, 93, 148, 192, 274, 275.
Angnesina, filia Musi Cibo, 259.
Anibaldus de Anibaldis, 82.
Aniciensis decanus, 218.
Aniciensis ecclesia, 241, 242, 291.
Annibaldus de Ceccano, 141, 142.
Ansaldinus de Nigro, 259.
Anselmus de Estria, 93, 265.
Anselmus Joffridi de Anioth, 230.
Anteradensis civitas, 272.
Anteradensis episcopus, 272. v. Bartholomeus.
Antibarensis ecclesia, 71.
Antogniacus, 37, 38.
Antonius de Guarnerinis, canonicus Paduanus, 14.
Antonius de Vico, 271.
Antwerpiensis diocesis, 27.
Apostolorum Principis basilica in Urbe, 1.
Aprutina ecclesia, 71, 72.
Aprutium, 217.
Aquense capitulum, 87, 153.
Aquensis archiepiscopus, 171.
Aquilegensis patriarcha, 210.
Aquilegensis patriarchatus, 53, 179, 180, 210, 252, 254.
Aragoniae regnum, 129, 130, 131, 191, 192, 194, 196, 197, 198, 199, 220, 221, 222, 262, 278, 279, 281, 284, 287, 291, 292, 293, 294, 295, 296, 297, 298, 299, 302, 303, 304.
Archebaldus, episcopus Cathanensis, 50.
Archio de Urbe, 5.
Arditio, decanus Nicosiensis, 53.
Arditio, episcopus Mutinensis, 43, 77, 81, 146, 178.
Arditio, primicerius Mediolanenis, 20.
Arelatensis archiepiscopus, 110, 154, 171.
Aremburgis, priorissa S. Mariae Nivernensis, 167.
Aretinus archidiaconus, 36.
Argentolium, 71.
Ariminensis communis, 250.
Arnaldus de Bauro, monachus, 83.
Arnaldus de Fatiano, 110.
Arnaldus de Frontino, monachus, 51.
Arnaldus Guillelmi, abbas S. Petri Generensis, 51.
Arnaldus Manhani, 230.
Arnulphus, abbas S. Genovefae Parisiensis, 35, 46, 47.
Arturus de Viterbio, 217, 218.
Arusiensis episcopus, 67, 78.
Ascernus, electus Wibergensis, 56.
Assisinas, 119, 120.
Assisinas episcopus, 147.
Assisinata ecclesia, 40.
Assisinates, 119, 120, 205, 208, 209, 128.
Astano, conventus de —, 271.
Astoricensis episcopus, 127.
Auda de Hastingo, 165.
Augerius Crassensis, 43.
Aurasicensis ecclesiae sacrista, 95.
Aureaevallis monasterium, 247, 248.
Aurelianensis ecclesia, 59, 60, 72.
Antissiodorensis episcopus, 32, 34, 67, 261, 262, 264.
Auversius, 175.
Auximana ecclesia, 77.
Auxitanus archiepiscopus, 87.
Avaneæ, 3.

Aversana civitas, 216, 217.
Avinionensis conventus, 95.
Aymericus de Agia, 271.
Aymo, archiepiscopus Tarentasiensis, 164.
Aymo, prior de Muneto, monachus, 81.
Azolinus Salvi, mercator Florentinus, 54, 78.

B., episcopus Albanensis, 77, 123, 145.
B., episcopus Auximanus, 77.
B., archiepiscopus Arelatensis, episcopus Portuensis, 35, 137, 138, 139, 150, 151, 210, 211, 212, 213, 214, 215, 216.
B., episcopus Vicentinus, 13.
B., praepositus Fanensis, 251.
Baal, 277.
Baiocensis archidiaconus, 293.
Bajamundus de Vitia, canonicus Astensis, 53, 56, 148, 149, 160.
Balduinus, canonicus, 264.
Balduinus, capellanus, 169.
Balneoregensis ecclesia, 77.
Balneoregensis episcopus, 117, 118, 119, 204, 227, 228.
Bambergensis diocesis, 79, 84, 85, 176.
Bandinus Amannati, mercator Pistoriensis, 84.
Bandinus Catiaguerrae, dictus de Fundera, mercator Lucanus, 146.
Bandus Yldebrandi, 3.
Barcheta de Barcha, mercator Lucanus, 17.
Barchinoniae comitatus, 191, 193, 194, 199, 225, 292, 293, 294, 295, 296, 297, 299, 303.
Barensis ecclesia, 67.
Barnabas, 91
Barrum in Lingonensi diocesi, 13.
Bartholinus Corsi, mercator Lucanus, 60.
Bartholomeus, abbas S.Pauli de Urbe, 40.
Bartholomeus, abbas S. Petri de Monteconaro, 162, 163.
Bartholomeus de Jordano, 156.
Bartholomaeus de Monte Regali, abbas, 68, 69.
Bartholomaeus, episcopus Anteradensis, 78, 274.
Bartholomeus Jacobi Taddei, 162.
Bartholomaeus Odae de Sancto Laurentio, clericus, 72.
Bartholotus Bandini, mercator Lucanus, 17.
Bartoli de Luca societas mercatorum, 84.
Basilicata, 217.
Basiliensis episcopus, 144, 145.
Bassofonte, monasterium de —, 248.
Bassus, notarius, 115, 282.
Batiensis archiepiscopus, 66.
Beatrix, comitissa Clarimontis, 26.
Beatrix, regina Siciliae, 6, 7.
Bellebonus de Guarnerinis, potestas Vicentinus, 13, 14.
Belvacensis episcopus, 33, 175.
Benedictus, canonicus Ydrontinus, 154.
Benedictus, cardinalis S. Nicolai in Carcere, 13, 64, 126, 127, 153, 161, 164, 295, 297.
Benedictus de Adria, 168
Benedictus de Aquino, canonicus Belvacensis, 27.
Benenatus de Lavania, 179, 180.
Beneventana ecclesia, 65.
Bentevenga, episcopus Portuensis, 260, 261.
Benvenutus, canonicus Pensauriensis, 162.
Berardus Bonihominis de Carcio, laicus, 84.
Berardus camerarius, 145, 146, 178, 272.
Berardus de Neapoli, prior S. Nicolai Barensis, notarius, 95.
Berardus, episcopus Auximanus, 77.
Bernardus, 43.
Bernardus, canonicus Agathensis, 35.
Bernardus, canonicus Majoricensis, 133.
Bernardus de S. Polycarpo, 43.
Bernardus de Welpia, cellarius Magdeburgensis, 43, 140.
Bernardus Raymundi, monachus, 150.
Berneval, 175.
Bertholinus, filius Mathei, comitis de Valperga, 21.
Bertmundus, archiepicopus Arelatensis, 35.
Bertoldus, de filiis Ursi, 217, 218.
Bertrandus, abbas Electensis, 43.
Bertrandus, archiepiscopus Arelatensis, 67, 78, 305.
Bertus Mactii, mercator, 56, 148.
Bessus Bartholomei, mercator Pistoriensis, 84.
Biecus Jacobi, mercator, 171.
Bindus Hugonis, mercator, 56, 148.
Bindus Johannis Symoneti, mercator Lucanus, 17.
Birgerus, filius regis Suetiae, 259.
Bisatiensis ecclesia, 123.
Bissus, 119, 120.
Bisuntina provincia, 287, 288, 300.
Bisuntinus archiepiscopus, 154, 171.
Biterrensis episcopus, 143, 151.
Bituricensis archiepiscopus, 256, 293.
Bituricensis ecclesia, 144.
Blanca, soror Philippi III regis, 29.

Blasius, abbas Criptae Ferratae, 90.
Blasius, episcopus Castellanatensis, 123.
Bohoncinus Paganelli, mercator Florentinus, 171.
Bonajuncta, canonicus Senogaliensis, 252.
Bonaspas Offredutii de Assisio, canonicus Tudertinus, 147.
Bonaventura Bernardini, 3.
Bonaventura de Parma, archiepiscopus Ragusinus, 39.
Bonavitus de Florentia de Chableys, 169, 170.
Bonifatius de Coconato, 272.
Bonifacius de S. Salvatore, canonicus, 66.
Bonifacius, prior S. Agathae Pontisturiae, 66.
Boninus Raynerii, mercator Florentinus, 257.
Bononiensis archidiaconus, 231.
Bononiensis episcopus, 210.
Bononia, 80, 210.
Bononienses scolares, 80.
Bonromeus, episcopus Fanensis, 162.
Bouchardus de Annonia, praepositus Trajectensis, postea episcopus Metensis, 65, 76.
Bouchardus de Hannonia, canonicus Leodiensis, 63.
Boultonia, 148, 160.
Bour, 164.
Bracharensis archiepiscopus, 239, 240.
Bracharensis civitas, 237.
Bracharensis ecclesia, 237.
Bracon, 182.
Braida, conventus de — ,268.
Brayum super Summonam, 39.
Bregniacus, 81.
Bremensis provintia, 57, 58, 59, 78, 169, 170, 257, 258.
Bremundus, abbas S. Tyberii, 150.
Briae archidiaconus, 29.
Britanniae comes, 141, 143.
Brixia, 61, 267, 268, 271.
Brixiensis episcopus, 62, 144, 145, 267, 271.
Brolius, 36, 37, 38.
Brugensis ecclesia, 76, 272.
Bullionus Rossilioni, mercator Lucanus, 84.
Burdegala, 126, 188, 306, 308.
Burdegalense capitulum, 87.
Burgensis episcopus, 127.
Burgundiae ducatus, 261, 262, 263, 264.
Burgundiae dux, 170.
Buxeria, 164.
Cabilonensis episcopus, 250, 260, 262.
Caesaraugusta, 193.
Calabria, 4, 19, 34, 52, 310.
Calatravensis militiae magister, 125.
Calatravensis ordo, 188.
Calino, conventus de — de Brixia, 271.
Cameracensis diocesis, 27, 73, 76, 85.
Caminensis civitas, 57, 58, 59.
Caminensis diocesis, 57, 58, 59, 257, 258.
Campaniae rector, 243.
Canigate, conventus de —, 258.
Cantarana, conventus de —, 271.
Cantuariensis archiepiscopus, 16, 62, 93, 147, 183, 184, 264, 265.
Capella, 164.
Capitanata, 217.
Capua, 216, 217.
Capuddurus de Padua, 14.
Capuferrus, archiepiscopus Beneventanus, 65.
Caputdurus, cf. Capuddurus.
Carcassonensis senescallus, 43.
Carnotensis archidiaconus, 37, 38, 41.
Carnotensis ecclesia, 4, 12, 156.
Carnotensis episcopus, 71.
Carolus, filius regis Francorum, 291, 292, 293, 294, 295, 296, 297, 299, 304.
Carolus, princeps Salernitanus ,11, 43, 216, 225, 308.
Carolus, rex Siciliae, 5, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 42, 43, 44, 67, 72, 101, 102, 107, 108, 109, 110, 111, 112, 113, 114, 115, 124, 125, 126, 153, 188, 189, 190, 196, 197, 200, 206, 209, 216, 217, 220, 249, 277, 278, 281, 282, 285, 288, 289, 290, 292, 298, 299, 301, 302, 303, 304, 305, 306, 307, 308, 309, 310.
Cartusiensis ordo, 288, 297, 300, 302.
Casinense monasterium, 107.
Cassanensis episcopus, 4, 52.
Cassia, 119, 120, 205.
Castellae ac Legionis regnum, 125, 192, 219, 220.
Castellae ac Legionis rex, 125.
Castellanatensis ecclesia, 123.
Castellanus episcopus, 209, 210, 226.
Castracani, societas mercatorum, 146.
Castro Giuffredo, conventus de —, 271.
Castrum Bertenorii, 99.
— Brettenorii, 116.v. C. Brectenorii
Castrum Brectenorii, 97, 100, 129, 202, 203, 208.
Castrum Frusinonis, 242, 243.

Castrum Meldulae, 215.
Castrum Novum, 250.
Castrum Ovis, 309.
Caterina, filia ducis Bavariae, 258.
Cathalaunensis episcopus, 33, 85, 86, 157, 158, 172, 173, 264, 271.
Cathanensis ecclesia, 50.
Cathanensis episcopus, 80.
Cella in Bria, 137.
Cena, prior de —, 250.
Cervia, 97, 99, 100, 116, 129.
Cesariense monasterium, 144.
Cesena, 97, 99, 100, 116, 129, 202, 203, 208.
Chamadiensis episcopus, 66.
Charitus, monachus Ollanensis, 69.
Chinus Rosimpelli, mercator Lucanus ,146.
Christophorus, capellanus papae, 77.
Christoforus de Tholomeis, 252, 253, 254.
Chunradus, decanus Ratisbonensis; 142.
Circulorum societas mercatorum, 56, 148.
Cisterciensis abbas, 25, 26, 63.
Cisterciensis ordo, 104, 105, 112, 129, 131, 188, 196, 269, 288, 297, 300, 302.
Claravallis de Castagnolo monasterium, 251.
Clarevallensis abbas, 25.
Clarinus, abbas, 264.
Claromontensis episcopus, 261, 262.
Clavasio, praepositus ecclesiae de —, 78.
Clavena, conventus de —, 271.
Clemens, prior generalis Heremitarum, 247.
Clemens IV papa, 16, 56, 83, 97, 108, 114, 136, 157, 171, 172, 236, 239, 241.
Clementia, filia Rodulfi, Romanorum regis, 5, 11.
Clevensis comes, 248.
Cluniacensis abbas, 35, 90, 95, 182.
Cluniacensis ordo, 35, 104, 105, 188, 196, 288, 297, 300, 302.
Clusinus archipresbyter, 146.
Colimbriensis ecclesia, 237.
Collonges, 272.
Colocensis archiepiscopus, 66.
Coloniensis provintia, 57, 58, 59, 78, 169, 170, 257, 258.
Comes, cardinalis SS. Petri et Marcellini, 73, 153, 247, 252, 255, 266, 295, 297.
Compostellana ecclesia, 3, 219, 220.
Condatense capitulum, 76.
Conradinus, 97, 108, 114.
Conradus, archiepiscopus Magdeburgensis, 43, 140.
Conradus de Antiochia, 114, 115, 200, 201, 202, 207, 208. 222, 281, 282, 283, 284, 285, 290, 291.
Conradus, episcopus Gurcensis, 65.
Conradus, episcopus Ortanus, 272.
Conradus, episcopus Osnaburgensis, 58.
Conradus, filius Friderici II ,107, 108.
Constantia, abbatissa S. Agnetis de Urbe, 229.
Constantiensis episcopus, 254, 255.
Constantinopolis, 50, 56, 67.
Contegnaga, conventus de —, 271.
Copus Cotegni, mercator, 56, 148.
Corbeiense monasterium, 92, 93.
Cordora, conventus de —, 271.
Corduba, 219.
Corisopitensis ecclesia, 141.
Corneolum monasterium, 42.
Corradinus, 157.
Corsica, 306.
Cosma, monachus Ollanensis, 69.
Cosmas, archipresbyter Sutrinus, 77.
Cracovia, 135, 136.
Cracoviae dux, 46.
Cracoviensis diocesis, 274.
Cretensis archiepiscopus, 56, 57.
Cretensis provincia, 57.
Criptae Ferratae monasterium, 90.
Cumana civitas, 267.
Cumani, 144, 145, 255.
Cumanus episcopus, 267.
Cunradus de Vansdors, 254.
Curbani dominus, 11.
Cusentia, 34, 77.
Cusentinus, v. Petrus de Pofis.
Cuxia, conventus de —, 271.

Dacia, 67, 78
Daciae rex, 50.
David, episcopus Suanensis, 170.
Denever, ecclesia, 147.
Deodatus, electus Militensis, 83.
Deolegardus, capellanus, 169.
Deotaleva de Perusio, 226, 227.
Didacus Didaci, 127.

Diensis ecclesia, 88.
Dinus Fadulini, mercator Lucanus, 17.
Dinus Jacobi Benectonis, mercator Lucanus, 84.
Dinus Jacobi Fortisguerre, mercator Lucanus, 84.
Divionis guardianus F.M., 63.
Dolense monasterium, 149, 150.
Domasio, conventus de —, 271.
Domus Novae conventus, 268.
Donatus Ferrarius, canonicus S. Agathae, 82.
Donatus Lamberti, mercator Lucanus, 60.
Drugellus, praecantor Lugdunensis, 244.
Dublinensis ecclesia, 158.
Dugano, conventus de —, 271.
Dumblanensis ecclesia, 259.
Dumblanensis episcopus, 4, 80.
Duodecim Apostolorum cardinalis, 33, 35.
Dulci, mercatores, 84.
Dunkeldensis ecclesia, 161, 162.
Durassus Henrici Durassi, mercator Lucanus, 146.
Dyonisius, rex Portugaliae, 220, 231, 232, 233, 234, 235, 236, 237, 238, 239, 240, 241.

Eadmundus, comes Campaniae ac Briae, 122.
Eboracensis ecclesia, 272.
Ebredunensis archiepiscopus, 60, 154, 170, 171, 301.
Ebredunensis provincia, 287, 288, 301.
Ebroicensis episcopus, 33.
Eduensis ecclesia, 138, 139.
Eduensis episcopus, 245, 262, 263, 301.
Edwardus I, rex Angliae, 62, 122, 139, 143, 188, 189, 220, 230.
Egidius, abbas Praemonstratensis, 42.
Egidius, abbas S. Pontiani Luciani, 136.
Egidius, canonicus Nepesinus, 219.
Egidius de Castelleto, 272, 293.
Egidius de Urbe, 247.
Egidius, dictus Pate, electus Aurelianensis, 59, 60. — Episcopus, 77.
Egidius, episcopus Nivernensis, 141, 142.
Egitanienses, 237.
Egitaniensis ecclesia, 237.
Egitaniensis episcopus, 237.
Ehistetensis diocesis, 79, 84, 85, 176, v. Eystetensis.
Electense monasterium, Narbonensis diocesis, 43.
Elena, consanguinea regis Swetiae, 181.
Elena, nata ducis Saxoniae, 163.
Emanuel, germanus regis Castellae, 219.
Enricus III, rex Angliae, 274, 275.
Equintus, 72.
Ergadiensis episcopus, 4.
Ericus, archiepiscopus Magdeburgensis, 140.
Ericus, rex Datiae, 259.
Essuster, 183, 184.
Eustachia de Sancto Verano, monialis, 67, 68.
Evenus, episcopus Corisopitensis, 141, 142, 143.
Evesham, 87, 88, 143.
Evrardus, abbas Dolensis, 149, 150.
Eystetensis episcopus, 254, 255.

F., archidiaconus Novariensis, 47.
F., episcopus Urbisveteris, 62.
F., episcopus Yporiensis, 83.
Falqua de Arceyo, 157.
Fanensis ecclesia, 162.
Farfense monasterium, 92.
Farum, 9, 10, 105.
Faversham, monasterium de —, 176.
Ferentinus episcopus, 134.
Ferrandus, archidiaconus de Nendis, 219.
Ferrandus, rex Castellae, 127.
Ferrandus Rodericus, canonicus Toletanus, 80.
Ferrariense monasterium Senonensis diocesis, 71.
Ferrariensis episcopus, 210.
Ferrariensis ecclesiae archipresbyter, 13.
Ferroyum insulae, 44, 60.
Fesulana ecclesia, 40.
Firmanus episcopus, 46.
Firmitatis Niverniensis monasterium, 142.
Fiscannense monasterium, 80, 81, 183, 184.
Flavigniacense monasterium, 39, 40.
Florasius, episcopus Sutrinus, 77.
Florentia, 31, 54, 56, 73.
Florentini mercatores, 31, 54, 78, 85.
Fogia, 308.
Folcalkerii comitatus, 287, 288, 301, 305.
Forimpolis, 97.
Forimpopulus, 100, 116, 129, 202, 203, 208.
Forlivium, 97, 98, 99, 100, 116, 129, 202, 203, 208.
Fossatense monasterium, 156.
Fraeles, 175.

Francescobaldorum de Florentia, mercatorum societas, 56.
Franciae regnum, 17, 24, 25, 30, 31, 33, 44, 90, 168, 174, 186, 192, 195, 196, 198, 264, 266, 287, 292, 297, 299, 300.
Franciscus de Castello, 249.
Franciscus, episcopus Pensauriensis, 162. v. Pensauriensis.
Franciscus, episcopus S. Marci, 34, 77.
Franciscus Nicolai Crescentii, civis Romanus, 82.
Frantia, 175.
Frasniacensis decanatus, 172.
Fratrum Minorum Ordo, 87.
Fredolus, episcopus Aniciensis, 241, 242.
F[redolus] episcopus Ovetensis, 16. v. *supra* et *infra* : Fridolus.
Fregiotus Bugieri de Monte Claro, mercator Lucanus, 84.
Frescobaldi, mercatores, 148.
Fridericus, archiepiscopus Salzburgensis, 65.
Fridericus de Mitterchirichen, 254.
Fredericus, episcopus Senogaliensis, 250, 251, 252.
Fridericus, filius marchionis de Landesberch, 258.
Fridericus Inchalochiati, mercator Lucanus, 146.
Fridericus II, Romanorum imperator, 97, 107, 114, 196, 225, 298, 302.
Fridericus, procurator ecclesiae Yporiensis, 21.
Fridesmondus, episcopus Fanensis, 162.
Fridolus, episcopus Ovetensis, 291.
Fulco, archidiaconus in Pontivo, 179.
Fulginates, 117, 118, 119, 205, 206, 286, 287, v. Fuliginates.
Fuliginates, 118, 120, 203, 204, 208, 209, 218, 223, 224.

G., archiepiscopus Corinthiensis, 223, 224, 227.
G., archiepiscopus Viennensis, 153, 154.
G., cardinalis Sancti Marci, 40, 122, 123.
G., episcopus Ambianensis, 33, 62.
G., episcopus Monopolitanus, 122.
G., episcopus Ostiensis, 153.
G., praepositus Barjolensis, 153.
Gallici, 128.
Galletia, 219.
Galvanus Dalmatinus, professus O.P., 135, 231.
Garnerius de Florentia, frater O.P., 56.
Garsedonius, monachus, 91.
Gasparus, conversus, 73.
Gauffredus, episcopus Leucadiensis, 124.
Gaufridus, abbas S. Maglorii Parisiensis, 70.
Gaufridus, camerarius Virziliacensis, 69.
Gaufridus, cancellarius S. Genovefae, 46.
Gaufridus, cardinalis S. Georgii ad Velum Aureum, 251, 252, v. Gottifredus.
Gaufridus, cardinalis S. Susannae, 73, 139, 157, 162, 163, 166, 295, 297.
Gaufridus, decanus Valentinus, 88.
Gaufridus de Anagnia, capellanus papae, 77.
Gaufridus de Sarginis, miles, 16, 17.
Gaufridus, dictus Conestabulus, abbas Virziliacensis, 69.
Gaufridus, dominus Castri Brientii, 164.
Gaufridus, nobilis Pictaviensis, 94.
Genicocastrensis ecclesia, 156.
Gentilis de Montorio, monachus, 137.
Geraldus Artus de Briva, 170.
Geraldus de Armelio, 141.
Geraldus de Morario, monachus, 51.
Gerardus, abbas S. Benedicti de Padolirone, 136.
Gerardus, abbas S. Germani de Pratis, 36, 37, 38.
Gerardus, archidiaconus Bracharensis, 84.
Gerardus, canonicus Albensis, 72.
Gerardus de Moreto, 41.
Gerardus, episcopus Eduensis, 138.
Gerardus, episcopus Sabinensis, 33, 35, 79, 82, 83, 101, 102, 103, 104, 105, 107, 109, 122, 123, 124, 125, 126, 128, 129, 154, 156, 158, 185, 196, 224, 225, 245, 259, 277, 278, 284, 298, 302, 304, 305, 306, 308, 310.
Gerardus, episcopus Virdunensis, 246.
Gerardus, praepositus S. Petri Casletensis, 73.
Gerasimus, abbas S. Benedicti de Ollano, 69.
Geraudus Coyndus, 88.
Gervasius, cardinalis S. Martini, 70, 90, 217, 218, 252, 295, 297.
Gibaudus de S. Verano, abbas Flavigniacensis, 39.
Gibellini, 215.
Giffredus de Vezano, canonicus Cameracensis, 93, 148, 158, 160, 265, 272.
Giffridus de Anagnia, auditor litterarum contradictarum, 51.
Gihennium, 219.
Gilo, archidiaconus de Pontivo, 39, 41, 42.
Girardus, abbas S. Silvestri de Urbe, 171.
Girardus, granetarius Virziliacensis, 69.
Gibertus, episcopus Lemovicensis, 161.
Giroldus de Mutina, frater ordinis Heremitarum, 55.
Gissate, conventus de —, 268.
Glasguensis episcopus, 80.

Gloucestrae comitissa, 64.
Gneçnensis ecclesia, 46, 150, 155, 272, 273, 274.
Gneznensis archiepiscopus, 273, 274.
Goffridus, canonicus Senogaliensis, 251.
Gordanicis, Prior de —, 154, 170, 171.
Gottifredus, cardinalis S. Georgii ad Velum Aureum, 77, 153, 162, 295, 297.
Gouix, 175.
Grabadona, conventus de —, 271.
Gradensis patriarcha, 210.
Gradensis patriarchatus, 53, 179, 210, 252, 253, 254.
Graiz, 182.
Grandimontensis ordo, 288, 297, 300, 302.
Gravinensis ecclesia, 123.
Gregorius IX papa, 171.
Gregorius X papa, 25, 31, 32, 52, 53, 56, 58, 59, 61, 66, 67, 74, 79, 80, 83, 85, 90, 92, 114, 122, 159, 170, 173, 197, 236, 238, 239, 240, 241, 251, 299, 303.
Grimerius, archiepiscopus Aquensis, 153.
Gronlandia, 44, 60.
Guala, cardinalis, 186.
Gualdus Nuceriae, 119, 120, 205, 208, 209, 223.
Gualterus de Fontanis, praepositus de Ingreyo, capellanus papae, 105, 106, 107, 249.
Gualterius, episcopus Pictaviensis, 178.
Guarinus, archidiaconus Brundusinus, 122.
Guarinus, canonicus Ogentinus, 124,
Guelfi, 215.
Guelfus, canonicus Pisanus, 147, 148.
Guiditio Paganini, mercator Lucanus, 146.
Guido, comes de Montefeltro, 97, 98, 99, 100, 116, 117, 120, 121, 129, 214.
Guido, comes Montisferetri, 202, 203, 208.
Guido, archiepiscopus Viennensis, 88.
Guido de Castronovo, 139.
Guido de Monteforti, 214, 215.
Guido de Simentone, canonicus Eduensis, 138, 139.
Guido, dictus Peregrinus, abbas Praemonstratensis, 42.
Guido, episcopus Autissiodorensis, 67.
Guiditionis de Luca societas mercatorum, 60.
Guillelmus, abbas Cerasiensis, 72.
Guillelmus, abbas Flavigniacensis, 39.
Guillelmus, abbas S. Petri Turris Majoris, 123.
Guillelmus, abbas S. Sulpitii Bituricensis, 81.
Guillelmus Alafredi, 151.
Guillelmus, archidiaconus Vindocinensis, postea archiepiscopus Viennensis, 88.
Guillelmus Benedicti de Balone, 230.
Guillelmus, canonicus Senogaliensis, 251.
Guillelmus, cantor Militensis, 83.
Guillelmus de Alvernia, archidiaconus Leodiensis, 63.
Guillelmus de Autissiodoro, abbas S. Genovefae Parisiensis, 35, 46.
Guillelmus de Avesnis, 158, 159.
Guillelmus de Bussiaco, 260.
Guillelmus de Esseyo, 179.
Guillelmus de Gebenna, decanus Diensis, 88.
Guillelmus de Hainonia, capellanus papae, 76.
Guillermus de Locmaria, 140.
Guillelmus de Mortorio, canonicus Mimatensis, 142.
Guillelmus de Planocastro, 164.
Guillelmus de Vico, 271.
Guillelmus de Vileriis, capellanus papae, 81.
Guillelmus de Yporeia, monachus, 55.
Guillelmus dictus Chapus, 170.
Guillelmus Duranti, 4. — Durandi, 97, 100, 214.
Guillelmus, episcopus Aniciensis, 242.
Guillelmus, episcopus Atrebatensis, 59, 62, 63.
Guillelmus, Jerosolimitanus patriarcha, 16.
Guillelmus, officialis Virziliacensis, 69.
Guillelmus, prior de Mantenaio, 137.
Guillelmus, prior Rothonensis, 164.
Guillelmus, sacrista Maliburgeti, 43.
Guillelmus II, rex Siciliae, 216, 217, 225.
Guillelmus, thesaurarius Virziliacensis, 69.
Guillermus, dictus Taillepie de Longavilla, 170.
Guillermus, episcopus Dunkeldensis, 161, 162.
Guinus Chufagni, mercator, 56, 148.
Gundisalvus, archiepiscopus Compostellani, 3.
Gunterus, thesaurarius Magdeburgensis, 43, 140.
Guntherius, comes de Swarzburch, 163.
Guranvilla, 36, 37, 38.
Gurcensis ecclesia, 65, 142.

Halberstadensis ecclesia, 43.
Hassya, 248.
Helias de Lafaya, 141.
Helias de Plesseyo, 256.
Heliseus Bareliae, civis Lucanus, 139, 140.
Helvis de Tonella, 167.
Helvis, filia Gaufridi de Sarginis, 16.

Helvis, subpriorissa monasterii Andeciarum, 172, 173.
Helyas de Suleyo, canonicus Eduensis, 139.
Helyas, nuntius regis Angliae, 274.
Hendericus, canonicus, 140.
Henricus, abbas Corbeiensis, 92.
Henricus Arnolfini, mercator, 178.
Henricus, canonicus, 140.
Henricus, canonicus Tudertinus, 272.
Henricus, comes Luceburgensis, 85.
Henricus, comes de Riparolio, 21.
Henricus de Ancona, 251.
Henricus de Basconia, 257.
Henricus de Brayo, canonicus Atrebatensis, 63.
Henricus de Brem, electus Gneçnensis, 46, 150.
Henricus de Coycton, 248.
Henricus de Gebennis, archidiaconus Lingonensis, 88.
Henricus de Gosse, 254.
Henricus de Lonace, prior, 66.
Henricus de S. Lupo, monachus, 74.
Henricus de Vilars, canonicus Lugdunensis, 74.
Henricus dictus de Lemovicis, 248.
Henricus, dux Bavariae, 258.
Henricus, electus Aberdonensis, 62, 80.
Henricus, electus Aberdonensis, 62, 80.
Henricus, episcopus Virdunensis, 245, 246.
Henricus, filius regis Castellae, 97.
Henricus, lantgravius Hassyae, 248, 249.
Henricus, plebanus de Gosse, 142.
Henricus, praepositus Mortariensis, 66.
Henricus III, rex Angliae, 15, 16, 88, 165. v. Enricus.
Herefordensis archidiaconus, 158.
Heremitae S. Augustini, 247.
Hervens de Donodei, canonicus S. Andreae in Scotia, electus Cathanensis, 50.
Herveus, prior Beatae Mariae de Sinemure, 39.
Hispania, 125.
Holingerius, 181.
Holm, monasterium de —, 18.
Hortensis episcopus, 35.
Hospitalarii, 104, 105, 131.
Hospitalis Ierosolymitani prior, 125. — in Francia prior, 266.
Hospitalis S. Andreae de Urbe, 139.
Hospitalis S. Johannis Jerosolimitani domus Parisiensis, 73.
Hubertus de Viriaco, archidiaconus de Turre, 88.
Hugo, decanus Mochensis, 122.
Huessonus, canonicus, 264.
Hugo, abbas Farfensis, 92.
Hugo, abbas S. Tyberii, 150, 151.
Hugo, archidiaconus Belnensis, 138, 139.
Hugo Bochardus de Cuysello, 12.
Hugo Barat, 158, 159.
Hugo Bruni, 244.
Hugo, canonicus, 264, 265.
Hugo, cantor Virziliacensis, 69.
Hugo, cardinalis S. Laurentii in Lucina, 50, 65, 77, 79, 91, 143, 162, 295, 297.
Hugo de Abirnithin, 4.
Hugo de Baucio, 110.
Hugo de Corrabuf, canonicus Eduensis, 139.
Hugo de Novis, canonicus, 66.
Hugo de Perona, 83.
Hugo de Strinolin, 161.
Hugo, dux Burgundiae, 63.
Hugo, episcopus Mutulanus, 122.
Hugo Jordani, 172.
Hugo, natus Hugonis, ducis Burgundiae, 63.
Hugo Revel, magister Hospitalis Jerosolimitani, 16.
Hugo Senescalcus, 74.
Hugo Spina, mercator Florentinus, 31, 54, 78, 145, 146, 169, 178.
Hugolinus, electus Mutinensis, 44.
Humilitati, 267, 268, 269, 270, 271.
Hymbertus de Hyenna, 93, 265.

Ibernia, 274, 275.
I. de Pendino, 245.
Idrontina ecclesia, 124, 125.
Illuminatus, episcopus Assisinatus, 40.
Innocentius III papa, 110, 193.
Innocentius IV papa, 40, 72, 80, 107, 196, 298, 302.
Innocentius V papa, 80, 102.
Insula, conventus de —, 271.
Insulensis ecclesia, 76.
Iolendis de Jaligniaco, monialis, 68.
Islandiae insula, 44, 60.
Issiacus, 37.
Italia, 288, 298, 303.
Iterius de Thiengiis, 172.

J., archiepiscopus Gneçnensis, 247.

J., episcopus Senogaliensis, 250.
J., episcopus Yporiensis, 83.
Jacobus, abbas S. Sabae de Urbe, 137, 138.
Jacobus, archiepiscopus Lundensis, 56.
Jacobus, cardinalis S. Mariae in Cosmedin, 145, 295, 297.
Jacobus de Alexandria, 247.
Jacobus de Alisia, O.F.M., 65.
Jacobus de Bruneta, 249.
Jacobus de Columna, cardinalis S. Mariae in via lata, 56, 76, 162, 163, 165, 166, 167, 264.
Jacobus de Roma, monachus, 40.
Jacobus, electus Gneznensis, 150, 154, 155, 183.
Jacobus, episcopus Eduensis, 138, 139.
Jacobus, episcopus Tyburtinus, 42.
Jacobus, episcopus Ydrontinus, 154.
Jacobus Johannis, mercator, 171.
Jacobus, monachus Ollanensis, 69.
Jacobus Musca, prior S. Mariae de Castello de Alexandria, 66.
Jacobus Petri, 162.
Jacobus Pictantiarii, 181.
Jacobus Raynucini, 3.
Jacobus, rex Majoricarum, 264.
Jacobus, rex Scotiae, 149.
Jacobus Traditionis de Sohorcialupo, mercator Lucanus, 60.
Jacobus Vannhatii de Bargiaco, clericus, 84.
Jadrensis archiepiscopus, 135, 231.
Januenses, 121, 122, 221, 226.
Januensis archiepiscopatus, 53, 179, 210, 252, 253.
Januensis archiepiscopus, 172, 210, 226, 259, 260.
Januensis civitas, 280.
Jeronimus, episcopus Prenestrinus, 145, 217, 218, 247, 271.
Johanna de Melloto, scolastica S. Juliani Autissiodorensis, 68.
Johanna de Monteforti, comitissa Foresii, 250.
Johannes, abbas Dolensis, 149.
Johannes, abbas monasterii Aureevallis, 247.
Johannes, archidiaconus Exoniensis, episcopus Wintoniensis, 62.
Johannes, archidiaconus Aquilegensis, 168.
Johannes, archiepiscopus Barensis, 67.
Johannes, archiepiscopus Beneventanus, 65.
Johannes, archiepiscopus Colocensis, 72.
Johannes, archiepiscopus Dublinensis, 19, 78, 158, 174
Johannes, archiepiscopus Lundensis, 50, 51.
Johannes Barbitonsor, archidiaconus Suessionensis, 38.
Johannes Biviani de Frusinone, 230.
Johannes, canonicus, 181.
Johannes, canonicus Gneznensis, 155.
Johannes, canonicus Gurcensis, 142.
Johannes, canonicus Wibergensis, 55, 56.
Johannes, capicerius ecclesiae Pictaviensis, 16.
Johannes, cardinalis S. Caeciliae, 75, 135, 174, 185, 186. 187, 188, 189, 190, 191, 194, 198, 272, 287, 292, 293, 294, 295, 296, 297, 299, 300, 301, 303.
Johannes, cardinalis S. Mariae in Cosmedin, 39, 51, 53, 56, 66, 75, 77, 136, 141, 152, 153, 160, 164, 171, 172.
Johannes, comes Cabilonensis, 63, 64.
Johannes Comitis, dominus de Vallemontonis, 142.
Johannes de Abbatibus, mercator Florentinus, 171.
Johannes de Abbeya, 166, 167.
Johannes de Ancona, 139, 166, 167.
Johannes de Archeriis, 16.
Johannes de Ausergiis de Calvomonte, prior S. Maglorii Parisiensis, 70.
Johannes de Brothamptonia, abbas Eveshamensis, 87.
Johannes de Caserta, clericus, 84.
Johannes de Cambremer, 160.
Johannes de Carnoto, 157.
Johannes de Castillone, comes Blesensis, 272.
Johannes de Cato, clericus, medicus Roberti Clarimontis, 27.
Johannes de Chaonio, 168, 172.
Johannes de Epa, 97, 214, 216.
Johannes de Estoutevilla, capellanus papae, 72.
Johannes de Fano, 247.
Johannes de Guipri, abbas Rothonensis, 164.
Johannes de Isca, frater Hospitalarius, 74, 266, 267.
Johannes de Knovyle, 93, 265.
Johannes de Luco, 265.
Johannes de Manivault, 264.
Johannes de Marli, 158, 159.
Johannes de Metellanico, civis Anagninus, 32.
Johannes de Monteforti, prior S. Maglorii Parisiensis, 70.
Johannes de Monte Morentiaco, canonicus Parisiensis, 27
Johannes de Murellis, 158.
Johannes de Offredus, primicerius S. Agathae, 82.
Johannes de Perellis, dictus de Pruvino, 31.
Johannes de Pontisara, abbas Ferrariensis, 71.
Johannes de Pontisera, 12.
Johannes de Raymo, clericus, 82.
Johannes de Salve, 151.

Johannes de S. Leutio, civis Verulanus, 58.
Johannes de Setia, 168.
Johannes de Vallibus, miles, 64.
Johannes de Verano, cantor ecclesiae Aurelianensis, 34.
Johannes dictus Bhowss, 170.
Johannes dictus Clarel, capellanus papae, 122.
Johannes dictus Decimarius, 141.
Johannes dictus Romanus, precentor Lincolniensis, 148, 160, 250.
Johannes, dux Saxoniae, 163.
Johannes, episcopus Carnotensis, 59.
Johannes, episcopus Genicocastrensis, 156, 157.
Johannes, episcopus Gurcensis, 5, 11, 12, 65, 142.
Johannes, episcopus Leodiensis, 63, 65.
Johannes, episcopus Metensis, postea Leodiensis, 63.
Johannes, episcopus Signinus, 35, 134, 149.
Johannes, episcopus Valentinus et Diensis, 88, 95, 180, 260.
Johannes Fidantiae de Bulseno, 84.
Johannes, filius Everharni dicti Harde, 31.
Johannes Gerardini, mercator Pistoriensis, 84.
Johannes Guidi Jordani, mercator Lucanus, 84.
Johannes Lavetor, miles, 64.
Johannes Lucas Martini de Sancto Victore, clericus, 72.
Johannes Martini, monachus, 137.
Johannes, miles, 141, 142.
Johannes Moscate, 272, 273, 274.
Johannes Nicolai de Pontecurvo, 141.
Johannes Nicolai Vallilargae, 170.
Johannes Paganelli, mercator Lucanus, 84.
Johannes Pirra, canonicus S. Agathae, 82.
Johannes, praepositus Leodiensis, 76.
Johannes, praepositus Majoricensis, 133.
Johannes, prior Flavigniacensis, 39.
Johannes, prior Lateranensis, 69.
Johannes, prior S. Benedicti de Padolirone, 136.
Johannes Rubei Bacarelli, 56, 148.
Johannes Rustici, mercator, 56, 148.
Johannes Saunerii, 247.
Johannes Stephani, 250.
Johannes, subdiaconus, 179.
Johannes Wlpi, mercator, 56, 148.
Johannes XXI papa, 15, 32, 39, 56, 75, 85, 136, 140, 148, 177, 251.
Jonathas de Castro S. Laurentii de Valle, 12.
Jordanus, cardinalis S. Eustachii, 33, 90, 153, 162, 177, 182, 255, 258, 267.
Jotrense monasterium, 157.
Judei, 233, 238.
Justatius, electus S. Agathae, 82.

Kalo, abbas Luxoviensis, 258.
Karolus, v. Carolus.

Labius Vulpelli, mercator Lucanus, 17.
Labomichiere, 164.
Lacedemonensis episcopus, 35.
Ladizlaus, rex Ungariae, 78.
Lalit, conventus de —, 271.
Lambertatii de Bononia, 97, 98, 99, 100, 116, 117, 129, 202, 203, 208.
Lamensis ecclesia, 237.
Lancis, monasterium de —, 175.
Landus, episcopus Ogentinus, 124.
Lanfrancus, archiepiscopus Nisiensis, 57.
Lanta Agolantis, mercator Pistoriensis, 84.
Lapus Bonichii, mercator, 171.
Lapus Hugonis Spinae, mercator, 257.
Lateranense capitulum, 69.
Lateranense concilium, 305, 306.
Latinus, episcopus Ostiensis, 49, 56, 65, 70, 91, 97, 162, 163, 215.
Laude, conventus de —, 268.
Laudunensis archidiaconus, 158.
Laudunensis episcopus, 33, 42.
Laurentius, subprior Virziliacensis, 69.
Lazarus quondam Lazari de Fondera, mercator Lucanus, 146.
Ledesma Salamantinis archidiaconus de —, 231.
Legionensis episcopus, 231.
Lemelerey, 164.
Leo, abbas S. Johannis in Lamis, 123.
Leo de Nigro, 259.
Leo, monachus, 35.
Leodegarius de Bisuntione, 39.
Leodiensis civitas, 287, 288, 300.
Leodiensis ecclesia, 63, 73, 76, 85, 257.
Leonardus, episcopus Tricaricensis, 245.
Leonibus, foresta de —, 175.
Lesatense monasterium, 182.
Les Margotes, 175.
Lestcho, dux Cracoviae, 135.

Lexoviensis episcopus, 171, 172.
Lincolniensis subdecanatus, 147.
Lingonensis diocesis, 13.
Lingonensis episcopus, 33, 262.
Locerno, conventus de —, 271.
Lodomerius, episcopus Waradiensis postea Strigoniensis, 66.
Lodowicus, v. Ludovicus.
Lombardia, 53, 178, 179, 210, 252, 253, 254, 267, 272.
Lucani mercatores, 31, 60, 84, 85, 178.
Lucanus episcopus, 147.
Lucas, abbas saecularis de Malatina, 71.
Lucas de Padua, 39.
Lucas de Sabello, 250.
Lucensis ecclesia, 3.
Ludovicus de Monteforti, abbas S. Maglorii Parisiensis, 70.
Ludovicus de Sabaudia, 250.
Ludovicus IX, Francorum Rex, 29, 32, 33, 34, 85, 257, 262.
Lugano, conventus de —, 271.
Lugdunensis archiepiscopus, 75, 87, 139.
Lugdunense consilium, 20, 25, 31, 43, 52, 53, 57, 61, 85, 179, 196, 253, 274, 298.
Lugdunensis diocesis, 13, 76.
Lugdunensis ecclesia, 244, 245.
Lugdunensis provintia, 287, 288, 301.
Lugdunum, 74, 75.
Lundensis ecclesia, 50.
Lunensis episcopus, 210.
Luxoviense monasterium, 258, 259.

M., abbas S. Pauli de Urbe, 40.
Mabilia, filia Lucae de Sabello, 250.
Mabilia, priorissa S. Victorini Beneventani, 123.
Magalonensis episcopus, 152.
Magdalena, nata Nicolai Johannis de Insula, 82.
Magdeburgensis ecclesia, 43, 140.
Magdeburgensis provintia, 57, 58, 59, 79, 169, 170, 257, 258.
Magnus, rex Sweorum, 34, 177, 181, 259.
Maguntina, 248.
Maguntina provintia, 79, 84, 85, 176, 257.
Maguntinus episcopus, 163.
Majoricarum regnum, 264, 287, 288.
Majoricarum rex, 134.
Majoricensis ecclesia, 133, 134.
Majus Monasterium Turonense, 136, 137.
Malatinae ecclesia, 71.
Mandrisio, conventus de —, 271.
Manfredus de Novis, canonicus, 66.
Manfredus de Presulis, archipresbyter plebis de Baiorca, 44.
Manfredus Giphonus, canonicus Militensis, 83.
Manfredus, princeps Tarentinus, 97, 103, 108, 109, 156, 197, 298, 302.
Marchabrunus, frater ordinis Beatae Mariae Virginis, 13.
Marchia Anconitana, 77, 216.
Marchia Tervisina, 53, 179, 210, 252, 253, 254.
Marcus, canonicus, 34.
Marcus, canonicus S. Marci, 77.
Marcus de Venetiis, electus Ragusinus, 39.
Maremna, 53, 145.
Margareta, cantrix S. Juliani Autissiodorensis, 67.
Margareta de Chaula, 157, 158.
Margareta de Moreto, 157, 158.
Margareta de Ripolongis, 157.
Margareta, filia regis Suetiae, 259.
Margareta, nata comitis Cabilonensis, 63, 64.
Margareta, regina Franciae, 6, 7.
Margarita de Campilio, priorissa S. Alexandri Parmensis, 79.
Margarita de Chasnayo, 167.
Maria de Abirnithin, 4.
Maria de Charantos, 167.
Maria de Sailliaco, 172, 173.
Maria, filia regis Alfonsi, 127.
Maria, monialis, 175.
Maria, regina Franciae, 21, 28.
Marinus, dictus Madalonus, 12.
Maritima, 3, 4.
Marliano, conventus de —, 268.
Martinus, archiepiscopus Gneçnensis, 46, 150.
Martinus de Hamptone, 93, 265.
Martinus IV papa, 293, 294, 295, 296, 297, 307.
Maruan, 237.
Masinus Bruneti, mercator, 147.
Massanensis civitas, 109, v. Messanenses.
Masseolus Petri Menzoni, mercator, 147.
Masseus Roscionpelli, mercator Lucanus, 60.

Matheus, abbas S. Dyonisii, 45, 46.
Matheus, archiepiscopus Idrontinus, 124.
Matheus, cardinalis S. Mariae in Porticu, 40, 65, 79, 123, 136, 267.
Matheus, comes de Valperga, 21.
Matheus de Crambech, 161.
Matheus, episcopus Mutinensis, 44.
Mathias Theatinus, 268, 271.
Mathildis, thesauraria monasterii Andeciarum, 172, 173.
Mauricius de Castro Muri, 93, 94, 95.
Mauritius de Bellavilla, 94.
Medicus Aliotti, mercator Florentinus, 54, 78, 257.
Mediolanensis archiepiscopus, 61, 83, 210, 268, 269, 270.
Mediolanensis archipresbyter, 144.
Mediolanum, 73, 210, 267, 268, 269, 270.
Meldensis episcopus, 16, 33, 38, 41, 42.
Meldensis thesaurarius, 158.
Meledunensis archidiaconus, 37, 38, 41.
Menasit, conventus de, 271.
Menevensis episcopus, 165.
Messanenses, 110, 111, 196, 225, 298, 308.
Metensis civitas, 287, 288, 300.
Metensis ecclesia, 63, 65, 85.
Metensis electus, 183.
Mevania, 120, 206, 208, 209.
Michael, archiepiscopus Antibarensis, 71.
Michael Paleologus, imperator Romaniae, 100, 112, 113, 115, 116, 197, 299, 303.
Milo, abbas Pultheriarum, 42.
Milo, abbas Virziliacensis, 69.
Milo de Tingnonvilla, 175.
Militensis ecclesia, 83.
Minorum guardianus de Urbe, 134.
Minorum ordo, 28, 103, 104, 112, 129, 131, 185, 186, 187, 212, 213, 267.
Mirasole, conventus de —, 268.
Misnensis ecclesia, 58.
Missinensis episcopus, 140.
Molisii comitatus, 216, 217.
Molisius, comes de Strathern, 259.
Monaldus de S. Anatholia, O.M., 84.
Monaldus, filius Johannis Fidantiae de Bulseno, 84.
Monopolitana ecclesia, 122.
Mons dictus Lupus, Parmensis et S. Gaugerici Cameracensis canonicus, 34.
Mons Maurilius, 271, 272.
Mons Meliani, 175.
Monspessulanus, 263.
Montaninus de Camilla, miles, 125.
Monteforti, conventus de —, 268.
Montis Casini fortelitia, 107.
Montis Cocozonis castrum, 217, 218.
Montisferrati marchio, 21.
Montis Hevil abbas, 62.
Montis Sanctarum Puellarum monasterium, 91.
Montis S. Angeli honor, 108.
Montisviridis ecclesia, 123.
Montorsio, conventus de —, 271.
Moravia, 11.
Moricus, abbas Farfensis, 92.
Moricus, episcopus Suanensis, 170.
Morinensis ecclesia, 27.
Mortariense capitulum, 66.
Mosomense monasterium, 39.
Muneti prioratus, 81.
Murtia, 219.
Musus Cibo, 259.
Mutinensis ecclesia, 44.
Mutulana ecclesia, 122.

Narbonensis archiepiscopus, 87, 143, 182, 225, 226.
Natalis, 71.
Navarrae regnum, 287.
Neapolis, 216, 217.
Neapolitana ecclesia, 128, 224.
Negotians, archidiaconus Piccininus, 162.
Nellus Bonaccursi, mercator Pistoriensis, 84.
Nemauseuris episcopus, 143.
Neocastrensis, v. Neucastrensis.
Neperina ecclesia, 219.
Nerinus Belinchionis, mercator, 147.
Nessingtonia, 148.
Neucastrensis episcopus, 34, 77.
Nicolaus, abbas S. Augustini Cantuariensis, 139.
Nicolaus, archidiaconus Eduensis, 138.
Nicolaus, archidiaconus Tarentariensis, 164.
Nicolaus, canonicus Senogaliensis, 251.
Nicolaus Comitis, civis Romanus, 134.
Nicolaus de Capua, canonicus Militensis, 83.
Nicolaus de Cimaco, 264, 265.
Nicolaus de Piperno, 31.

Nicolaus de Plebe, 13, 14.
Nicolaus de Terracina, 12, 31, 32, 51, 58, 72, 84, 95, 139, 140, 141, 156, 170, 230.
Nicolaus de Vincherüs, 246.
Nicolaus, dictus Pir, canonicus Ripensis, 18.
Nicolaus, electus Wibergensis, 56.
Nicolaus, episcopus Tudertinus, 51.
Nicolaus, episcopus Wintoniensis, 62.
Nicolaus Girardi Guiti, 170.
Nicolaus Johannis, 171.
Nicolaus Johannis de Insula, civis Romanus, 82.
Nicolaus Paganelli, mercator Lucanus, 84.
Nicolaus IV papa, 1, 3, 5, 11, 15, 31, 32, 33, 34, 35, 38, 39, 40, 45, 50, 53, 56, 62, 63, 76, 77, 89, 97, 123, 140, 158, 165, 166, 167, 177, 246, 251, 252, 267.
Nidrosiensis archiepiscopus, 44, 60.
Nigella, 27.
Nivernensis conventus F.M., 172.
Nivernensis episcopus, 262.
Nongens Rotrodi, 143.
Nongentus super Materna, 156.
Normannia, 59, 174, 175.
Norweie, v. Norwegiae.
Norwegiae regnum, 44, 60.
Norwegiae rex, 45.
Novariensis ecclesia, 47.
Novionensis episcopus, 33.
Nucerina, 119, 120.
Nucerini, 119, 120, 205, 208, 209, 223.
Nuemburgensis episcopus, 140.
Nuilliacus super Maternam, 156.

O., episcopus Vapincensis, 60.
Obediens, abbas S. Petri de Monteconaro, 162, 163.
Octavans, canonicus plebis de Coseia, 40.
Octo, praepositus Salzeburgensis, 254.
Oddo, abbas S. Luciani Belvacensis, 135.
Oddo de Castellione, 172.
Oddo de Salone, canonicus Eduensis, 138, 139.
Odo de Benacho, canonicus Tarviensis, 51.
Odo de Nealfa, canonicus Parisiensis, 29.
Ogentina ecclesia, 124.
Olibani castrum, 107.
Oliverius, praepositus Pensauriensis, 162.
Olomucensis diocesis, 79, 84, 85, 176.
Olzate, domus de —, 271.
Omnium Sanctorum in Insula Cathalaunensi monasterium, 264, 265, 271.
Opizo Gerardi, mercator Lucanus, 146.
Opol, dux de —, 274.
Oratius de Senogalia, 251.
Oratorium Laferiere, 156.
Ordonius, episcopus Tusculanus, 63, 69, 161, 162, 163, 164, 258, 267.
Orlandini et Ubaldi Cardelini societas mercatorum, 84.
Orlandinus Paganelli, mercator Lucanus, 146.
Orlandus Cianchocti, mercator Lucanus, 60.
Ortana ecclesia, 272.
Ostiensis episcopus, 230.
Oswardus, monachus, 176, 177.
Otho, comes palatinus Burgundiae, 182.
Otto, archiepiscopus Mediolanensis, 268, 269, 270.
Ovetensis ecclesia, 241, 242, 291.
Oxonia, 17, 18.
Oxoniensis Universitas magistrorum et scolarium, 17.

P., episcopus Reatinus, 19, 34.
P., monachus, 176, 177.
P., praepositus S. Gaudentii Novariensis, 47.
Paganinus Yldebrandi Guiditionis, mercator Lucanus, 146.
Paganus, frater Ordinis Praedicatorum, 55.
Pairani monasterium, Tolosanae diocesis, 43.
Palazolo, conventus de —, 271.
Paleologus, v. Michael.
Palmerius, episcopus Tricaricensis, 245.
Pandulfus, canonicus Ogentinus, 124.
Panormitana civitas, 108, 109.
Panormitani, 110, 111, 130, 278, 284.
Pantaleo, patriarcha Constantinopolitanus, 50, 56, 57.
Papiensis episcopus, 210.
Paretus, 36, 37, 38.
Parisiensis cancellarius, 68.
Parisiensis capella regis Francorum, 22, 28.
Parisiensis decanus, 67.
Parisiensis diocesis, 13.
Parisiensis ecclesia, 229.
Parisiensis episcopus, 33, 70.
Parisiensis Universitas magistrorum et scolarium, 36, 37, 41, 42.
Parisius, 23, 25, 26, 27, 293.
Parma, 49, 50.

Parmensis archipresbyter, 249, 250.
Parmensis episcopus, 49, 50, 54, 61.
Paulus de Reate, notarius, 5, 11.
Paulus, episcopus Tripolitanus, 272.
Pensauriensis ecclesia, 162.
Pensauriensis episcopus, 251, 252.
Perna, 141, 142.
Perso, prioratus de —, 74.
Perusina communis, 40, 286.
Perusina ecclesia, 290, 291.
Perusini, 117, 118, 120, 203, 204, 205, 206, 208, 223, 224, 227, 228, 286.
Perusinus episcopus, 40, 286.
Petra Cisa, 75.
Petrus, abbas Florensis, 123.
Petrus, abbas Fossatensis, 155, 156, 229.
Petrus, abbas S. Affrodisii Bituricensis, 82.
Petrus, abbas S. Mariae de Pomposia, 91.
Petrus, archidiaconus Panormitanus, 65.
Petrus, archiepiscopus Narbonensis, 114.
Petrus, archiepiscopus Tarentasiensis, 164.
Petrus, camerarius S. Maglorii Parisiensis, 70.
Petrus de Bibiano, monachus, 55.
Petrus de Caffo, clericus, 61.
Petrus de Castro Jocelini, 164.
Petrus de Ceneto, 171.
Petrus de Elisia, 168.
Petrus de Mediolano, 295.
Petrus de Milaungis, 271, 272.
Petrus de Mollanis, miles, 105, 106, 107.
Petrus de Pofis, archidiaconus Cusentinus, 5.
Petrus de Rodmersham, 176, 177.
Petrus de Ruffiaco, 164.
Petrus de Salve, abbas Ananiensis, 151.
Petrus de S. Antonio, 162.
Petrus de S. Floro, 230.
Petrus de S. Habundo, abbas Pulteriarum, 35, 42.
Petrus de Stagno, 242.
Petrus de Supercasa, monachus, 51.
Petrus de Thora, 164.
Petrus de Tylloyl, 161.
Petrus dictus Amiart, 27.
Petrus dictus Le Sayne, 264, 265, 271.
Petrus dictus Pioix, 248.
Petrus, episcopus Atrebatensis, 62.
Petrus, episcopus Capudaquensis, 11.
Petrus, episcopus Majoricensis, 14, 33.
Petrus, episcopus Placentinus, 72.
Petrus, episcopus Portuensis, 110
Petrus, episcopus Signinus, 134.
Petrus Factinelli, mercator Lucanus, 146.
Petrus, frater Ordinis Minorum, 56.
Petrus Guillelmi, mercator Lucanus, 146.
Petrus Notarii Jacobi, 51.
Petrus Passavantis de Vico, clericus, 84.
Petrus Petri, 157.
Petrus, prior S. Columbae, 43.
Petrus I rex Aragonum, 110, 126, 292, 302.
Petrus III, rex Aragonum, 107 ad 113, 129, 130, 131, 188, 189, 190, 191, 192, 193, 195, 196, 198, 199, 200, 206, 207, 209, 220, 221, 222, 225, 264, 277, 278, 279, 280, 281, 284, 285, 287, 288, 289, 290, 291, 292, 296, 298, 299, 302, 303, 304, 305, 306.
Petrus, sacrista ecclesiae Romanensis, 88.
Petrus Saracenus de Urbe, capellanus Papae, 67.
Petrus, tertius prior Virziliacensis, 69.
Philippa, priorissa de Marseignes, 165.
Philippus, custos Gneznensis, 155.
Philippus de Brundusio, 154.
Philippus de Collibus, monachus, 92.
Philippus de Domibus, 27.
Philippus de Mantua, inquisitor hereticae pravitatis, 39.
Philippus de Tuyea, 231.
Philippus, episcopus Fesulanus, 40.
Philippus, episcopus Firmanus, 66, 73, 78.
Philippus, filius regis Francorum, 29, 293, 294, 297.
Philippus III, Francorum rex, 9, 10, 21, 22, 23, 24, 25, 31, 32, 34, 35, 42, 60, 63, 69, 70, 85, 86, 105, 106, 107, 139, 143, 170, 175, 191, 192, 193, 194, 195, 197, 220, 242, 244, 245, 261, 262, 263, 264, 287, 291, 292, 293, 294, 295, 296, 297, 299, 300, 303, 304.
Pictavensis decanus, 271.
Pictavensis episcopus, 93, 94, 247.
Pileus, frater ordinis Beatae Mariae Virginis, 13.
Pinthoniensis diocesis, 27.
Pisana civitas, 280.
Pisana provincia, 210.
Pisani, 121, 221, 226.
Pisanus archiepiscopus, 159, 210.
Pissiacus, 13.
Pistorienses mercatores, 31, 84, 85.
Pistoriensis civitas, 260, 261.
Placentina ecclesia, 72, 210.
Placentinus episcopus, 210.

Plaliacus, 175.
Plebs nova in Fago, 141.
Plocensis episcopus, 155.
Pochaër archidiaconatus, 140.
Poenitentia Jesu Christi Fratres de —, 95.
Polonia, 273, 274.
Poloniae dux, 46, 150.
Pomerania, 273, 274.
Ponchardus, canonicus, 264.
Pontesolo, conventus de —, 271.
Pontius, 42.
Pontius de Narbona, canonicus Carpentoratensis, 95.
Pontius, episcopus Majoricensis, 133.
Pontivum, 274.
Porta Horientali, conventus de — Mediolanensis, 268.
Portuensis episcopus, 306.
Portugalensis ecclesia, 234.
Portugalliae regnum, 86, 239, 240.
Portus, prioratus, 258.
Portusalacris, 237.
Poznaniensis episcopus, 135, 155.
Praedicatorum ordo, 3, 4, 28, 49, 103, 104, 112, 129, 131, 183, 185, 186, 187, 212, 213, 248, 267.
Praemonstratense monasterium, 42.
Praemonstratensis ordo, 29, 104, 105, 188, 196, 212, 213, 288, 300, 302.
Pragensis diocesis, 79, 84, 85, 176.
Pratensis praepositus, 3, 145. v. Alcampus.
Prenestrinus episcopus, 252.
Proba Comitis, mercator, 171.
Proliano, prior de —, 61.
Provinciales, 128.
Provintiae comitatus, 44, 287, 288, 301, 305.
Puctius quondam Villani Luchosis, mercator Lucanus, 146.
Pulces, mercatores Florentini, 145, 146, 147.
Pulicium societas, 178. v. Pulces.
Pultheriarum monasterium, 42.

R., abbas Fiscannensis, 80, 81.
R., episcopus Albanensis, 157.
R., episcopus Portuensis, 176. v. Portuensis.
Radulphus, decanus Pictaviensis, 247.
Radulphus dictus Cheval, 51.
Radulphus, officialis Virziliacensis, 69.
Radulphus, rector de Britwelle, 66.
Ragusina ecclesia, 40.
Ragusinus archiepiscopus, 272.
Raino, ordinis Praedicatorum, 121.
Rambertinorum societas, 178.
Rambotus, archidiaconus Camerinensis, 95.
Ramundus, abbas S. Germani de Pratis, 41.
Ranulphus, archidiaconus Nicosiensis, 35.
Ratisponensis episcopus, 258.
Ravennas, 210.
Ravennatis archiepiscopus, 81, 210.
Raymundus, abbas Electensis, 43.
Raymundus, abbas S. Michaelis de Clusa, 91.
Raymundus Augerii, decanus Anitiensis ecclesiae, 15, 16.
Raymundus Berengarius, comes Provintiae, 5, 7, 8.
Raymundus, cantor ecclesiae Viennensis, 88.
Raymundus de Medullione, episcopus Vapincensis, 60, 178, 179.
Raymundus de Nogeriis, 20.
Raymundus de Serinhaco, 151.
Raymundus Hugonis, monachus, 43.
Raynaldus, canonicus Senogaliensis, 251.
Raynaldus de Castronovo, capellanus papae, 18, 34, 57.
Raynaldus, episcopus Aprutinus, 71.
Raynerius Butrichus, mercator Lucanus, 84.
Raynerius, canonicus Gneznensis, 155.
Raynerius de Camerino, 166, 167.
Raynerius de Florentia, frater O.P., 56.
Raynerius de Orio, canonicus Leodiensis, 57, 58, 59, 257, 258.
Raynerius de Orio, praepositus de Clavasio, 169, 170.
Raynerius, praepositus Florentinus, 40.
Raynutius Runsini, mercator Lucanus, 60.
Raynutius Venturae, mercator Lucanus, 60.
Regalis Montis monasterium, 29.
Regina, abbatissa S. Mariae Nivernensis, 165, 166, 167.
Regina communis, 55.
Reginaldus, canonicus Lugdunensis, 244.
Reginus archiepiscopus, 18.
Regius, 55, 79.
Rejani Castrum, 161.
Remensis archiepiscopus, 33, 86, 142, 255, 256, 271.
Renaldus, episcopus Senensis, 70.
Renaldus, prior de Monticiano, 70.
Renaldus S. Innocentiae, canonicus Senensis, 70.
Renaudus, decanus Atrebatensis, 62, 63.
Restorus Bonaventurae, mercator Florentinus, 257.

Resus Mareduci, 165.
Ricardus, decanus Cathanensis, 50.
Ricardus de Vileta, monachus, 91.
Riccardus de Ayrola, 11.
Riccardus de Lamore, archidiaconus Wintoniensis, 62, 147.
Riccardus de Waltham, 230.
Richardus de Magdalena, 169.
Richerus, prior S. Maglorii Parisiensis, 70.
Riccardus de S. Dyonisio, 169, 170.
Rimbertini, mercatores Florentini, 145, 146, 147.
Ripensis episcopus, 56.
Rivalo de Burgo, 164.
Roberti Vallis, 175.
Robertus, abbas Majoris Monasterii Turonensis, 136, 137, 142, 164, 165, 229.
Robertus, cancellarius Dunkeldensis, 161.
Robertus, canonicus, 264.
Robertus, canonicus Senogaliensis, 251.
Robertus, cardinalis S. Eustachii, 171, 172.
Robertus, comes Atrebatensis, 308, 309, 310
Robertus, comes Clarimontis, 26, 27.
Robertus de Brazincorte, decanus Carnotensis, 144.
Robertus, decanus Eboracensis, 122.
Robertus de Lacy, 93, 265.
Robertus de Leratio, 151.
Robertus de Martivallis, 231.
Robertus de Talesio, 123.
Robertus, dux Burgundiae, 261, 262, 263.
Robertus, episcopus Aurelianensis, 59.
Robertus, episcopus Bathoniensis et Wellensis, 62.
Robertus, episcopus Dunkeldensis, 161, 162.
Robertus Ferrarius, canonicus S. Agathae, 82.
Robertus Junctae, mercator, 56, 148.
Rodolfus, regis Romanorum cancellarius, 5.
Rodolphus de Torota, 244, 245, 246.
Rodulphus de Hohenekke, 254, 255.
Rodulphus, rex Romanorum, v. Rudolfus.
Rogerius, episcopus Aprutinus, 71.
Rogerius, episcopus Pensauriensis, 162.
Regerus, canonicus Virdunensis, 79.
Rogerus de Rovellere, 93.
de Rowellere, 265.
Rogerus Laveday, miles, 64.
Rogerus, monachus S. Trinitatis Militensis, 18.
Rogo de Clara, decanus Staffordiensis, 64.
Rolandus de Ferentino, presbyter, 66.
Rolandus de Parma, 177.
Roma, 1, 82.
Romanense capitulum, 88, 89.
Romaniae imperium, 197, 299.
Romaniola, 91, 97, 107, 116, 120, 121, 129, 202, 208, 210, 214, 215, 216.
Romialdus, electus Barensis, 67.
Rondenario, conventus de —, 268, 271.
Rosselinus Baccarelli, mercator, 56, 148, 171.
Rossi Baccarelli et Raynutii Abbatis societas mercatorum, 56, 148, 171.
Rostagnus, abbas S. Stephani Monopolitani, 35.
Rostagnus, archiepiscopus Aquensis, 153, 154.
Rothomagensis archiepiscopus 31, 32, 33, 34, 66, 73, 80, 87, 168, 169, 171.
Rothomagense capitulum, 64, 65.
Rothomagensis decanus, 64, 65.
Rothomagensis ecclesia, 72.
Rothomagus, 171.
Rothonense monasterium, 164.
Roysacus, 156.
Rudolfus, Romanorum rex, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 66, 85, 140, 163, 246, 254, 255, 258.
Ruscillus, monasterium, 149.
Rusticus Romagnioli, mercator Lucanus, 84.

S., abbas Majoris Monasterii Turonensis, 136.
S., archiepiscopus Bituricensis, 87, 143, 144.
S., episcopus Carnotensis, 33.
S., episcopus Gadicensis, 72.
Sabinensis episcopus, 77.
Sabarisius, episcopus Tyburtinus, 42.
Saccorum Fratres, 159, 160.
Salamantinus decanus, 80.
Salem, abbas de —, 254.
Salernitana civitas, 217.
Salernitana ecclesia, 128, 129, 224.
Salernitanus princeps v. Carolus.
Salimbene, monachus, 137.
Salinguerra de Pervina, canonicus Senensis, 70.
Salinus, 182.
Saliny, 56.
Salmuriense monasterium, 164.
Salvius, archiepiscopus Ragusinus, 39.
Salzeburgensis archiepiscopus, 142, 254, 255.

Salzeburgensis provincia, 79, 176, 254.
Sancta Genovefa, villa de —, 175.
Sanctae Agathae ecclesia, 82.
S. Agnetis de Urbe monasterium, 229.
S. Caeciliae cardinalis, 2.
S. Clarae ordo, 187.
S. Crucis de Cognolo ecclesia, 62.
S. Genovefae de Capella ecclesia, 27.
S. Genovefae Parisiensis monasterium, 35, 46, 47.
S. Magdalenae Recanatensis monasterium, 174.
S. Margaretae de Helincuria prioratus, 35.
S. Margaretae prioratus, diocesis Belvacensis, 42.
S. Mariae Becensis monasterium, 160.
S. Mariae de Capellis monasterium Neapolitanum, 35.
S. Mariae de Muriano plebanus, 155.
S. Mariae de Pomposia monasterium, 91.
S. Mariae de Prato prope Rothomagum prior, 171, 172.
S. Mariae de Salteano ecclesia, 76, 252.
S. Mariae de Vezano ecclesia, 147.
S. Mariae in Campis Metensis, 152.
S. Mariae Majoris de Urbe ecclesia, 139.
S. Mariae Magdalenae de Gambara conventus, 271.
S. Mariae Nivernensis monasterium, 142, 165, 166, 167, 168.
S. Mariae Rotundae de Urbe ecclesia, 134.
S. Mariae Theotonicorum priores, 273.
S. Mariae Trajectensis ecclesia, 76.
S. Severinae archiepiscopus, 18.
S. Trinitatis conventus, 268.
S. Trinitatis Militensis monasterium, 18.
Sancti Adriani cardinalis, 251.
S. Adriani de Castro Matellice plebanus, 162.
S. Albani monasterium, 176, 177.
S. Alexandri monasterium, 79.
S. Andreae de Castroduno ecclesia, 169.
S. Andrae Urbevetanae ecclesia, 79, 84, 85.
S. Audoeni Rothomagensis abbas, 171, 172.
S. Audomari diocesis, 13.
S. Augustini Cantuariensis monasterium, 139.
S. Augustini ordo, 288, 297, 302.
S. Benedicti de Ollano monasterium, 69.
S. Benedicti de Padolirone monasterium, 136.
S. Benedicti ordo, 288, 297, 302.
S. Benigni Divionensis monasterium, 170.
S. Bonifacii Halberstadensis ecclesia, 140.
S. Calimari conventus, 268.
S. Christophori Senensis ecclesia, 76.
S. Clementis Metensis abbas, 152.
S. Dyonisii in Francia abbas 23, 24, 25, 26, 27, 28, 29, 30, 47, 54, 157, 158.
S. Dyonisii monasterium, 33, 54, 71, 174, 175.
S. Dyonisii villa, 45.
S. Egidii monasterium, 151.
S. Faustini conventus, 261.
S. Flaviani ecclesia in Montefiascone, 113, 129, 130.
S. Gaudentii de Coxano monasterium, 172.
S. Gaugerici Cameracensis ecclesia, 158, 159.
S. Georgii conventus, 271.
S. Georgii ad Velum Aureum cardinalis, 70.
S. Georgii de Vindocino ecclesia, 168.
S. Germani Autisiodorensis Parisiensis ecclesia, 27.
S. Germani de Pratis, abbas, 24, 26, 41, 45, 157.
S. Germani de Pratis monasterium, 41.
S. Gregorii in Clivo Scanri monasterium, 40, 68, 69.
S. Hermacoras de Venetiis plebanus, 155.
S. Jacobi militae magister, 125.
S. Johannis de Argentella monasterium, 138.
S. Johannis de Nogento Rotrodi, 169.
S. Johannis in Burgo Laudunensis ecclesia, 27.
S. Johannis in Lamis monasterium, 123.
S. Juliani Autissiodorensis monasterium, 67.
S. Lamberti de Levatis ecclesia, 248.
S. Laudi Andegavensis ecclesia, 43.
S. Laurentii ecclesia, in suburbio Yporiensi, 83.
S. Luciani Belvacensis monasterium, 135.
S. Maglorii Parisiensis monasterium, 70.
S. Marcelli juxta Parisius decanus, 47.
S. Marci ecclesia, 77.
S. Marci Venetiis Ecclesia, 209, 226.
S. Mariani Autissiodorensis abbas, 67.
S. Martini de Bosis ecclesia, 249, 250.
S. Martini de Campellis in Bria abbas, 157.
S. Martini de Castriduno prior, 248.
S. Michaelis de Clusia monasterium, 91, 92.
S. Nicolai de Sypiczano, monasterium, 77.
S. Nicolai in Carcere Tulliano ecclesia, 13.
S. Nicolai in Litore monasterium, 91.
S. Pancracii Urbis ecclesia, 110.
S. Pauli de Pontevico conventus, 271.
S. Pauli de Urbe monasterium, 40, 68, 137, 161.
S. Pauli Narbonensis monasterium, 182.
S. Pelagii de Antealtaria monasterium, 3.

S. Petri de Basachiis ecclesia, 231.
S. Petri de Boevilleta ecclesia, 248.
S. Petri de Brugola monasterium, 73.
S. Petri de Castanea ecclesia Viterbiensis, 95.
S. Petri de Cultura Cenomannensis monasterium, 43.
S. Petri de Massa abbas, 251.
S. Petri de Monteconaro monasterium, 162, 163.
S. Petri de Monte monasterium, 181.
S. Petri de Urbe basilica, 13.
S. Petri de Veteri Buda ecclesia, 72.
S. Petri Gandensis monasterium, 36.
S. Petri Generensis monasterium, 51.
S. Petri in Vetera ecclesia, 62.
S. Petri Mutinensis abbas, 250.
S. Petri Turris Majoris monasterium, 123.
S. Philippi de Valle Demonis monasterium, 69.
S. Quintini in Viromandia ecclesia, 28.
S. Sabae de Urbe monasterium, 137.
S. Salvatoris Alifani monasterium, 123.
S. Salvatoris de Blesis ecclesia, 169.
S. Saturnini super Rodanum prioratus, 151.
S. Sebastiani Magdeburgensis ecclesia, 140.
S. Secani monasterium, 88, 95, v. S. Sequani.
S. Sepulchri Cameracensis monasterium, 76.
S. Sequani monasterium, 260.
S. Silvestri de Capite de Urbe monasterium, 134, 171.
S. Stephani Drocensis ecclesia, 169.
S. Stephani in Ponte Florentino ecclesia, 146, 178.
S. Stephani Monopolitani monasterium, 35.
S. Sulpicii Bituricensis monasterium, 81.
S. Syxti conventus, 271.
S. Tyberii monasterium, 150, 151.
S. Ursini Bituricensis prioratus, 34.
S. Vitalis conventus, 271.
S. Vitalis de Ripa conventus, 271.
S. Victorini Beneventani monasterium, 123.
S. Victoris Parisiensis monasterium, 35.
S. Vincentii Metensis abbas, 152.
Sanctus Walericus de Wollectis, 66.
S. Wiperti in Niemborg ecclesia, 140.
Sanctius, 219.
Sanctius, baro, 110.
Sanctorum Philippi et Jacobi conventus, 271.
S.S. Symonis et Jude de Urceis conventus, 271.
Santius, filius regis Castellae, 127.
Sardiniae insula, 43, 306.
Sarraceni, 105, 108, 212, 233, 238, 239.
Sarraciniscu, 114, 201, 282, 283, 285, 290.
Satrianensis ecclesia, 122.
Sandomeria, 135.
Scardonensis ecclesia, 135, 231.
Scolastica, monialis, 174.
Scotiae regnum, 53, 56, 80, 148, 149, 160, 274.
Scotiae rex, 50, 54, 56, 62, 162, 274.
Senenses fratres O.P., 4.
Senenses mercatores, 3, 31, 85.
Senensis ecclesia, 70, 71.
Senogiensis diocesis, 73, 76.
Senogaliensis ecclesia, 250, 251, 252.
Senonensis archidiaconus, 37, 38, 41.
Senonensis archiepiscopus, 1, 33, 60, 67, 87, 168, 255, 256, 262, 264.
Senonensis officialis, 175.
Serbiae rex, 71.
Sextus, 268.
Sibilia, 219.
Sibilia de Castro Muri, 93, 94, 95.
Siciliae insula, 4, 19, 52, 221, 225, 277, 278, 279, 280, 281, 284, 291, 298, 302, 304, 310.
Siciliae regnum, 9, 10, 19, 34, 44, 101, 102, 107, 108, 109, 110, 112, 113, 115, 124, 126, 127, 128, 157, 196, 197, 199, 201, 202, 206, 209, 216, 217, 221, 224, 225, 249, 277, 278, 280, 282, 283, 288, 290, 291, 298, 299, 301, 302, 303, 306, 307, 308, 309, 310.
Siculi, 126, 130, 206, 207, 209, 221, 225, 226, 277, 278, 280, 281, 284, 289, 290, 302, 305, 306.
Siffridus, archiepiscopus Coloniensis, 58.
Sigalonia, 59.
Sigalonus, archidiaconus Aurelianensis, 293.
Signini cives, 134.
Silvanectensis episcopus, 33, 175.
Silvensis ecclesia, 237.
Sirmiensis episcopus, 66.
Sleziae dux, 274.
Soffredus Diversi, mercator Lucanus, 84.
Sophia de Casate, monialis, 73.
Sorana ecclesia, 19.
Spellus, 119, 120, 205, 208, 209, 223.
Spina Philippi, mercator, 171.
Spoletani, 118, 119, 204, 205, 208, 209.
Spoletanus episcopus, 32, 34.
Stagnensis ecclesia, 272.
Stendaliensis ecclesia, 43.

Stephanus, abbas Montis Sancti Eligii, 62.
Stephanus, episcopus Parisiensis, 70, 157.
Stephanus, filius Johannis Stephani, 250.
Stephanus, monachus, 92.
Strago, monachus, 18.
Strigoniense capitulum, 73.
Strigoniensis ecclesia, 66, 73.
Strongolensis ecclesia, 123.
Suanensis ecclesia, 170.
Sublacensis abbas, 115, 149, 201, 283.
Suetia, 78.
Surianum, 11.
Sutrina ecclesia, 77.
Surico, conventus de —, 271.
Syboudus de Bellovisu, 88.
Syboudus Roveri, 88.
Symeon, episcopus Balneoregensis, 78.
Symolphus, abbas S. Silvestri de Urbe, 134.
Symon Camerarius, 260.
Symon, cardinalis S. Caeciliae, 37, 38.
Symon, canonicus Senogaliensis, 251.
Symon, canonicus Wibergensis, 55, 56.
Symon, cardinalis S. Martini, 136, 251.
Symon de Nigella, miles, 293.
Symon, electus Bituricensis, 81.
Symon, episcopus Assisinatus, 40.
Symon Gerardi, mercator Florentinus, 54, 78, 257.
Symon Guidalotti, 286.
Symon Matifardi, 256.
Symon Petrus de Terracena, clericus, 67.
Synibaldus de Alabro, archidiaconus Bononiensis, 65.
Syradia, 135.

T., archiepiscopus Antibarensis, 71.
T., episcopus Nepesinus, 219.
Tancredus de Viterbio, 217, 218.
Tancredus, episcopus Neucastrensis, 124, 125.
Tanorus Consilii, mercator, 56, 148.
Tarentasiensis archiepiscopus, 154, 171, 301. v. Aymo et Petrus.
Tarentasiensis ecclesia, 164.
Tarentasiensis provincia, 287, 288, 301.
Tarraconensis civitas, 292, 294, v. Terraconensis.
Tarraconensis ecclesia, 292, 294.
Tarentinus principatus, 108,
Tarnona, conventus de —, 271.
Tarvisina marchia, 39. V. Marchia.
Tellius, archiepiscopus Bracharensis, 85.
Templarii, 105, 131.
Templi domus Militiae Jerosolimitani magister, 16, 17, 104, 125.
Templi Militiae praeceptores in Francia, 17.
Templum Parisius, 25, 26, 29, 85, 106, 107, 267.
Tenebruggo, prior de —, 64.
Terra Bari, 217.
Terra Laboris, 216, 217.
Terra Sancta, 3, 16, 17, 19, 20, 25, 29, 30, 31, 32, 34, 43, 44, 45, 52, 53, 54, 56, 57, 58, 59, 60, 66, 67, 74, 78, 79, 84, 85, 86, 87, 122, 128, 145, 146, 148, 149, 154, 158, 159, 160, 168, 169, 170, 171, 174, 176, 177, 178, 179, 180, 181, 188, 197, 222, 249, 252, 253, 254, 257, 258, 261, 262, 263, 266, 267, 274, 275, 277, 278, 281, 287, 299, 303, 304, 306.
Terra Ydronti, 217.
Terraconensis archiepiscopus, 193.
Terraconensis civitas, 191, 194.
Terringes, 93, 265, 266.
Theatina ecclesia, 128, 224.
Thedaldinus dictus Mangialmachus, mercator Lucanus, 60.
Thedericus, episcopus Faventinus, 36.
Thedisius de Camilla, capellanus Papae, 93, 265, 266.
Theobaldus, abbas Luxoviensis, 258, 259.
Theobaldus de Sinemuro, 231.
Theoderica, soror comitis Clevensis, 248, 249.
Theodericus, capellanus papae, 79, 84, 85, 257, 258, 272.
Theodericus, marchio de Landesberch, 258.
Tholomeus Manenti, 3.
Tholomeus Petri, 171.
Thomas, abbas Anianensis, 151, 152.
Thomas de Camilla, 265, 266.
Thomas de Fyndona, abbas S. Augustini Cantuariensis, 139,
Thomas de Raymundinis, 251.
Thomas de Vercello, canonicus, 66.
Thomas de Werychamtone, 249.
Thomas, dictus de Cardolio, 141.
Thomas, dictus Pinus, capellanus Papae, 57.
Thomas, dictus Seguin, 231.
Thomas, episcopus Nepesinus, 141.
Thomas, praepositus S. Michaelis de Castroferreo, 66.
Thomas Spillati, 31, 146. — Spilliati, mercator Florentinus, 54, 178.

Thomasius, canonicus Beneventanus, 65.
Thomasius, civis Verulanus, notarius, 58.
Thomasius Spillati, mercator, 78, 145, 169, 257.
Thowecester, 13.
Thrugillus, electus Wibergensis, 56.
Thymo, abbas Corbeiensis, 92.
Tiburtinus episcopus, 134, 138, 229.
Tilic, conventus de —, 271.
Tinctus, canonicus Senogaliensis, 251.
Toffiae castrum, 92.
Toletanus archiepiscopus, 80.
Toletum, 219.
Tolosanus episcopus, 182.
Torcellanus archidiaconus, 56, 57.
Tornacensis ecclesia, 76.
Tornacensis episcopus, 36.
Trajectensis ecclesia, 76.
Trasmundus de Guillivisio, clericus, 77.
Trecensis episcopus, 33, 248.
Tremedit, conventus de, 271.
Treverensis archiepiscopus, 65.
Treverensis provincia, 79, 84, 85, 257.
Tribuniensis ecclesia, 272.
Tricaricensis ecclesia, 245.
Tripolitanus episcopus, 204.
Trisino, conventus de —, 271.
Tudertinus diocesis, 13, 51.
Tullensis diocesis, 85, 287, 288, 300, 301.
Tullensis episcopus, 181, 301.
Tunitius, 128.
Turonensis archiepiscopus, 33, 87, 93, 94, 95, 141.
Tuscia, 3, 4, 53, 97, 145, 210.
Tusculanus episcopus, 35, 40, 56, 69, 70, 77, 90, 255.
Tutellanus decanus, 219, 220.
Tyburtina ecclesia, 42.

Ubaldus Cardelini, mercator Lucanus, 146.
Ubertus de Bobbio, juris civilis professor, 249.
Ubertus de Placentia, capellanus papae, 18, 34, 57.
Ubertus, natus Uberti de Bobbio, 249, 250.
Ugolinus, canonicus Senogaliensis, 251.
Uguitio Bonaccursi, 171.
Ulixbonensis, 239.
Ulpho, filius Holingerii, 181.
Ultramarinae partes, 225.
Umbertus, electus Astensis, 231.
Ungari, 255.
Ungariae regnum, 43.
Ungariae rex, 9, 10, 43.
Upsalensis archiepiscopus, 32.
Urbanus IV papa, 83, 97, 152.
Urbinas, 215, 216.
Urbisveteris prior F.M., 62.
Urbisvetus, 98, 130, 131, 200, 247, 281, 289, 290.
Urbs v. Roma.
Ursini, 217, 218.
Ursus, de filiis Ursi, 217, 218.

V., archipresbyter Clusinus, 178.
Valentina ecclesia, 88, 95.
Vannus Sembrini, mercator Lucanus, 146.
Valentinensis episcopus, 272.
Valentiae regnum, 195, 225, 287, 288, 295, 296, 297, 299, 304.
Vapincensis ecclesia, 60.
Vasionensis episcopus, 60.
Vatiensis episcopus, 73.
Vasconia, 188, 189.
Velletrensis episcopus, 70.
Venantius, prior S. Petri de Monteconaro, 163.
Veneti, 280.
Venetorum dux, 221, 226, 280.
Ventura, abbas S. Mariae de Pomposia, 91.
Ventura, archipresbyter Clusinus, 53, 54, 61, 146, 252.
Vercellensis episcopus, 21, 84.
Vernunghstun, 183, 184.
Vesprimiensis diocesis, 72.
Vetralla, 217.
Vicentina civitas, 14
Vicentini canonici, 14.
Vicentinus diocesis, 14.
Vicoboldono, conventus de —, 268.
Vicó, monasterium de — Metense, 183.
Viennensis archiepiscopus, 171, 301.
Viennensis decanus, 74.
Viennensis ecclesia, 88, 89, 90.
Viennensis provincia, 287, 288, 301.
Vigalone, conventus de, 268.
Vigor, monachus, 184.
Vindobona, v. Wienna.

Virdunensis diocesis, 85, 246, 287, 288, 300, 301.
Virziliacense monasterium, 69.
Visensis ecclesia, 237.
Visensis episcopus, 68.
Viterbienses, 217, 218.
Viterbium, 1, 217.
Vivianus, electus Faventinus, 36.
Volio, conventus de —, 271.

W., canonicus Wellensis, 274.
W., praepositus Suanensis, 170.
Wallia, 274, 275.
Walliae princeps, 15.
Walop, 148, 160.
Walterius de Wenlac, 229.
Walterus, archiepiscopus Eboracensis, 64.
Walterus, dictus de Bathonia, acolytus, 143.
Wankefeudus, 72.
Waradiensis ecclesia, 66.
Warnerus, abbas S. Petri de Monte, 181.
Wasconia, 274.
Wedego, episcopus Misnensis, 58.
Welandus de Strykelaw, 161.
Weringham, 265, 266.
Westamnora, 183, 184.
Westimonasterium, 229, 230.
Wexionensis ecclesia, 32.
Wibergensis ecclesia, 55, 56.
Wienna, 6, 7, 8, 10, 11.
Wilcassinus Franciscus, 175.
Wilcassinus Normannus, 174, 175.
Wilgrappus, canonicus Arusiensis, 67.
Wilgrippus, praepositus de Roxho, 67.
Willelmus Calletot, 175.
Willelmus de Peterssen, 76.
Willelmus de Sanham, clericus, 64.
Willelmus de Sardeyne, 93, 265.
Willelmus de Tiwa, abbas de Evesham, 143.
Willelmus de Tyva, monachus, 87.
Willelmus, episcopus Dumblanensis, 259.
Wiltersensis archidiaconatus, 66.
Wingham, 93.
Wintoniensis ecclesia, 62, 147, 148, 160.
Wintoniensis episcopus, 177.
Wlostiberius, canonicus Gneznensis, 46.
Wlostobonus, canonicus Gneznensis, 150.
Wratislaviae dominus, 274.
Wratislaviae dux, 46.
Wrastislaviensis episcopus, 135.

Ylarius, abbas Criptae Ferratae, 90.
Yolenda, filia Alfonsi regis Castellae, 127.
Yporiensis ecclesia, 83.
Ysabella de Montigni, 173.
Ysabellis de Bosco, 166, 167.
Ysabellis de Toringam, 182.
Ysabellis, filia Gaufridi de Sarginis, 16.
Ysabellis Sorinae, 167.
Ysimdo, sacrista Nivernensis, 88.
Ysolda, filia Henrici, comitis de Riparolio, 21.
Yspalensis archiepiscopus, 219, 220.
Yvo, abbas Cluniacensis, 244.
Yvo, episcopus Corisopitensis, 140, 141.

Zeta, 71.
Zono, conventus de —, 271.

Imp. F. BOISSEAU, 34, rue du Taur — Toulouse

BIBLIOTHÈQUE DES ÉCOLES FRANÇAISES D'ATHÈNES ET DE ROME

Deuxième Série (*format grand in-4° raisin*)
publiée ou analysée d'après les manuscrits originaux du Vatican et de la Bibliothèque Nationale, *par les membres de l'Ecole française de Rome.*

REGISTRES DES PAPES DU XIIIe SIÈCLE

Etat de la publication

Ouvrages en cours de publication :

4° **Les Registres de Boniface VIII** (1294-1303), par MM. G. Digard, M. Faucon, A. Thomas et M. Fawtier. 4 tomes : tome Ier, fascicules 1 à 4 ; tome II, fascicules 5 à 8 ; tome III fascicules 9 à 13 ; tome IV en cours, fascicules 14 à 16 parus. Prix ..... **850 fr.**

6° **Le Liber Censuum de l'Eglise romaine**, texte introduction et notes, par M. P. Fabre et Mgr Duchesne. 2 tomes : tome Ier, fascicules 1 à 4 ; tome II en cours, fascicules 5 et 6 parus. Prix ..... **350 fr.**

9° **Les Registres de Grégoire IX** (1227-1241), par M. L. Auvray, 3 tomes : tome Ier, fascicules 1 à 5 ; tome II, fascicules 6 à 10 ; tome III en cours, fascicules 11 et 12 parus ; fascicule 13 en préparation. Prix ..... **600 fr.**

11° **Les Registres de Clément IV** (1265-1268), par M. E. Jordan, 1 tome : tome Ier en cours, fascicules 1 à 5 parus. Prix ..... **250 fr.**

12° **Les Registres de Grégoire X et de Jean XXI** (1271-1277), par MM. J. Guiraud et L. Cadier (les Registres de Grégoire X et de Jean XXI, réunis en une seule publication). 1 tome : tome Ier en cours, fascicules 1 à 4 parus ; fascicule 5 en préparation. Prix ..... **250 fr.**

14° **Les Registres de Nicolas III** (1277-1280), par M. J. Gay. 1 tome : tome Ier en cours, fascicules 1 à 4 parus ; fascicule 5 sous presse. Prix. **200 fr.**

15° **Les Registres d'Alexandre IV** (1254-1261), par MM. Bourel de la Roncière, de Loye et Coulon, 2 tomes : tome Ier, fascicules 1 à 4 ; tome II en cours, fascicules 5 et 6 parus. Prix . **400 fr.**

Ouvrages terminés :

1° **Les Registres d'Innocent IV** (1243-1254), par M. E. Berger. 4 tomes et addenda. Prix. **800 fr.**

3° **Le Liber Pontificalis**, texte, introduction et commentaire, par Mgr. L. Duchesne. Epuisé. (Réimpression par souscription probable).

5° **Les Registres de Nicolas IV** (1288-1292), par M. E. Langlois. 2 tomes. 9 fascicules. Prix ..... **500 fr.**

7° **Les Registres d'Honorius IV** (1285-1287), par MM. Prou. 1 tome. 4 fascicules. Prix . **225 fr.**

13° **Les Registres d'Urbain IV** (1261-1264), par M. J. Guiraud. 4 tomes, dont le premier est le registre dit Cameral. 12 fascicules. Prix . **650 fr.**

16° **Les Registres de Martin IV** (1281-1285), par M. Olivier-Martin et des membres de l'Ecole française de Rome. 1 tome. 3 fascicules. Prix ..... **200 fr.**

Troisième Série

REGISTRES ET LETTRES DES PAPES DU XIVe SIECLE

Ouvrages en cours de publication :

3 *bis* **Benoît XII**. Lettres closes et patentes intéressant les pays autres que la France, par M. J. Vidal, 1 tome : tome Ier, fascicules 1 à 3, tome II en cours, fascicules 4 parus. Prix ..... **220 fr.**

1° **Jean XXII**, (1316-1334.) Lettres secrètes et curiales du pape relatives à la France, par M. A. Coulon. 3 tomes : tome Ier, fascicules 1 à 3 ; tome II en cours, fascicules 4 et 5 parus. Prix .. **350 fr.**

1 *bis* **Jean XXII** (1316-1334). Lettres communes par G. Mollat, 12 tomes : tome Ier, fascicules 1 et 2 ; tome II, fascicules 3 et 4 ; tome III, fascicules 5 et 6 ; tome IV, fascicules, 7, 8, 9, 9*a* ; tome V, fascicules 10, 11 et 12 ; tome VI, fascicules 13, 14 et 15 ; tome VII, fascicules 16 et 17 ; tome VIII fascicules 18 et 20 ; tome IX, fascicules 19 et 21 ; tome X, fascicule 23 ; tome XI, fascicules 22 et 24 ; tome XII, fascicule 25 ; tome XIII, fascicule 26 ; tome XIV parus, Prix. **2.170 fr.**

3° **Clément VI** (1342-1352). Lettres closes patentes et curiales se rapportant à la France, par M. Deprez. 4 tomes : tome Ier en cours, fascicules 1 et 2 parus, fascicules 3 en préparation. Prix ..... **300 fr.**

5° **Urbain V** (1362-1370). Lettres secrètes et curiales se rapportant à la France, par M. P. Lecacheux. 1 tome : tome Ier en cours, fascicules 1 et 2, 1 fascicule « Registres » par M. Dubrulle parus. Prix ..... **160 fr.**

6° **Innocent VI** (1352-1362), par M. Deprez. 1 tome Tome Ier en cours, fascicule 1 paru. Prix ..... **25 fr.**

7° **Grégoire XI** (1370-1378), par M. Mirot, tome Ier en cours, fascicule 1 paru. Prix .... **100 fr.**

Ouvrages terminés :

2° **Les Registres de Benoît XI** (1303-1304), par M. Ch. Grandjean. 1 tome. 5 fascicules. Prix ..... **300 fr.**

2 *bis* **Les Registres de Benoît XII** (1334-1342). Lettres communes par M. J.-M. Vidal. 3 tomes. 6 fascicules. Prix ..... **500 fr.**

2 *ter* **Benoît XII** (1334-1342). Lettres closes patentes et curiales se rapportant à la France, par M. G. Daumet. 1 tome : tome Ier, fascicules 1 et 2, introduction et texte. Prix ..... **180 fr.**

8° **La Nécropole de Myrina**. Texte et notices sur les fouilles archéologiques exécutées par l'Ecole française d'Athènes, de 1880 à 1882, suivis d'un catalogue des terres cuites et autres antiquités de Myrina, exposées au Musée du Louvre, par MM. E. Pottier, S. Reinach et A. Veyries, 2 tomes, dont un fort volume de texte et un de planches en helio et phototypie. ..... Prix : **350 fr.**

10° **Fouilles dans la Nécropole de Vulci**, par M. S. Gsell. 1 tome avec illustrations. Reste quelques exemplaires. Prix ..... **300 fr.**

Les Prix ci-dessus, sont établis pour l'ensemble de tout ce qui a paru de chaque registre.
Les Fascicules pris séparément sont comptés à raison de 5 fr. la feuille.

D046242O7P
Duke University Libraries